



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Opera Omnia Ascetica

Aucta Duobus Opusculis De Effectibus, Fructu, Et Applicatione Sanctissimi
Missæ Sacrificii, Et De Sublimitate Perfectionis Religiosæ. Catalogum
Tractatum Asceticorum Omnium Vicina Post Dedicacionem Pagina
Indicabit

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Tractatus De Negotiationis
Spiritualis Industriis

Druzbicki, Kaspar

Ingolstadii, 1732


VD18 90066367

urn:nbn:de:hbz:466:1-45372

Th. 2573.

J. VII
26.






V. P.
GASPARIS
DRUZBICKI,
SOCIETATIS JESU,
DE
NEGOTIATIONIS
SPIRITUALIS
INDUSTRIIS
TRACTATUS.

V. P. Druz. Op. IV.

A

INDEX





INDEX INDUSTRIARUM TRACTATUS HUIJUS.

- Industria I. *Vivendum semper ordinatè tam quoad tempora, quàm quoad opera.*
- Industria II. *Modus & Regula unicuique operi assignanda, & in ejus executione servanda.*
- Industria III. *Per partes assuescendum Observationibus in Actionibus ut vitetur fatigatio & Actus.*
- Industria IV. *Actiones nostræ Intentione variorum Finium compatibilium fecundanda, & non unus ex eis fructus (ut vulgò fieri à bonis etiam solet) decerpendus.*
- Industria V. *Actiones nostræ Intentione plurium particularium virtutum, affectibusque & actibus earum, in ratione meriti &c. fecundanda.*
- Industria VI. *Uusus potentiarum tam Animæ quàm Corporis, quibus plurimis uti solemus in aliqua una Actione, DEO explicitè offerendus.*
- Industria VII. *Actiones nostræ, etiam aliorum Actionibus in Deum per nos relatis, sunt fecundanda.*
- Industria VIII. *Actiones nostræ fecundanda per augmentum Intensionis, & fervoris rationalis, idque proportione Arithmeticâ.*
- Industria IX. *Actiones nostræ fecundanda sunt intensivè per proportionem Geometricam.*
- Industria X. *Actiones nostræ ad Excellentiam Heroicam deducenda, prestatque tales potius paucas quàm remissas multas fieri.*

Industria XI. *Actiones, sic à nobis sunt exercenda, ut sint Superiores Habitibus suis.*

Industria XII. *Actiones nostræ sublimanda in meritis Christi, & pretiosissima Parentis MARIE.*

Industria XIII. *Actiones nostræ possunt locupletari per appropriationem bonorum alienorum, præcipue Christi, B. Virginis, & Sanctorum.*

Industria XIV. *Possimus spiritualiter ditari atque Actionibus & Passionibus, alioqui inutilibus futuris, tam ex nostris quam alienis.*

Industria XV. *Possimus nos communicare cum creaturis & transformare in eas, ac pro eis Deum colere & laudare.*

Industria XVI. *Possimus in meritis crescere, defectus divinae laudis, in, & pro omnibus creaturis, supplendo.*

Industria XVII. *Ratio crescendi in Bonis Spiritualibus, per dilatationem extensionemque desideriorum, sive alterius generis Actuum, ad plures & plures actus, vel ad plura & plura objecta, aliter aliterque multiplicata.*

Industria XVIII. *Possimus Operum nostrorum valorem per vota iis præmissa augmentare.*

Industria XIX. *In Operibus nostris nosmet ipsos sacrificare debemus Deo.*

Industria XX. *Possimus Actuum nostrorum meritum, augere usu Mortificationis externæ in quovis opere nostro.*

Industria XXI. *Possimus multa merita comparare, per Ratihabitionem Actionum atque Passionum, bonorumque omnium, tam alienorum quam priorum.*

Industria XXII. *Possimus crescere in merito per re-*

u
i
u
i

tractationem malarum Actionum, tam nostrarum quam alienarum.

Industria XXIII. Possumus unius Voluntarii boni actus exercitio, plurium vicem, quantum ad meritum & valorem supplendo, in meritis crescere.

Industria XXIV. Possumus crescere in meritis patiendo aliquid mali, faciendoque aliquid boni semper pro semper.

Industria XXV. Possumus & debemus crescere in merito per augmentum Voluntarii, Deliberationis, Electionis, Propositi, in nostris actionibus.

Industria XXVI. Augere merita possumus per iritationem, & per applicationem sensuum, vel Imaginationis, vel Rationis, ad ardua Objecta.

Industria XXVII. Possumus crescere in merito non intendendo meritum.

Industria XXVIII. Ut Actus nostri sint meritorii, utque Industria nostra utiles, oportet, ut sensum & notitiam actuum, affectuum, verborum, mens nostra veram, formalem, vivacem habeat, tunc quando illos & illas exercet.

Industria XXIX. In Actionibus nostris anticipare punctualem esse, ultra tempus morari, item agere & tardè agere, easdem præscindere, ac breviant, summi meriti.

Industria XXX. Per substitutionem voluntariam vocis, aut signi unius pro multis actionibus, copia meritorum compendio conquiri à nobis potest.

Industria XXXI. Omnes præterita Industria in compendium redactæ.

PROOEMIUM.

Quoniam Tractatum presentem, hominibus spirituali vita deditis, Negotiationi Sacrae, & ad animarum lucra pertinenti consecratis scribimus, ejusque negotiationis fructuosa ac cum Dominico lucro peragenda Industriis tradimus; ideo supponimus, eos, qui hoc lecturi sunt, atque in suam usum traducturi, decursa jam prima Spiritualis vite via, ac veluti etate (quam Purgativam atq; Incipientium Magistri nostri vocaverunt) in secunda, qua proficientium est, & Illuminativa dici solet, occupari. In qua vita posteriore, ne diu tempus & frustra terant, hasce illis Industrias, tanquam subsidia atque compendia submittimus; ut iis observatis non tantum secure, non tantum cito, non tantum fructuose, sed etiam feraciter, atque opulenter abundanterq; stadium Virtutum decurrere, copiam meritorum parare, perfectionem sibi propositam, suoque instituto convenientem assequi & hereditare valeant. Cognovimus namq; experientia, plerosque candidatos ac studiosos perfectionis, etsi plurimos annos in studio ipso posuerint, etsi diligenter, quantum in ipsis erat, tum libros spirituales, tum Magistros animarum consuluerint, etsi nihil horum, quod legerant didicerantque, omittere laboraverint, nequa-

quam tamen adoptata perfectionis possessionem, ad virtutum soliditatem, atque virtuosagendi facilitatem, quam speraverant, pervenisse. Nulla quidem alia de causa, quam defectu Methodi ac rationis, aut potius defectu & Ignorantia Industriadum practicarum, quibus unumquodque documentum perfectionis, ex Magistris haustum, in usum suum & in praxim deducere, ac illud sibi facile, familiare, innatumque reddere potuissent. Quia ignorantia si non laborasset, audeo affirmare, quod illi minore multo conatu & tempore, ad optatos perfectarum Virtutum amplexus fructusque sine dubio pervenissent. Ut enim in omnibus artibus atque scientiis, praecipue practicis & activis, observant earum periti, non tantum reperiri praeceptorum cognitionem atque etiam exercitationem; sed praeterea esse quasdam unicuique arti Industrias suas & exercendorum praeceptorum, conficiendorumque operum compendiosas praxes, quarum ignorantia unus artifex esto praeceptorum gnarus & diu in exercitatione versatus, opera artis suae (quae in Practicis sunt opus & finis atque perfectio) magna cum difficultate, magno sumptu, magno labore, magnis saepe cum erroribus atque periculis vix effingit: alius vero è contraria Industriadum gnarus, eadem praecepta & ejusdem artis opera, mira facilitate, dexteri-

tate,

tate, compendio, celeritate, perfectione exequitur. Ita etiam in scientia spirituali (quam practicam esse magna saltem ex parte, satis constat) usu venire, nullum dubium est. Sunt in ea opera quae facere oportet, sunt praecepta & documenta, juxta quae operum executio facienda est; sed insuper, sunt praxes atque industriae, quarum ignoratio & neglectus, difficilem, laboriosam, longam, inefficacem reddit, tum praeceptorum observationem, tum operum effectum: è contra, earum cognitio atque observatio, facilem, compendiosam, delectabilem & efficacem reddit omnem spiritualem praeceptionem, omnem operationem, omnem perfectionem. Quamvis autem haec praecipue Illuminativae viae sectatoribus scribamus & proponamus; non solis tamen haec servitura dicimus: quinimmo in decursu etiam ea afferemus, quae tam Purgativae quam Unitivae viae affeclis, multum profutura, minime dubitamus.

Atque jam hisce Industriis tradendis, in presenti manum admoveamus, & ab Ordine ordimur.

INDUSTRIA I.

Vivendum semper ordinatè, tam quoad tempora, quàm quoad opera.

1.

Est igitur prima Industria, Vitæ ac Negotiationis Spiritualis, Vita Ordinata, seu Vivere ordinatè. Nihil hîc ego de Ordinis commendatione: ex libris hæc peti aliis potest. mihi aliud propositum est. Satis est quòd ordo sit rerum anima: quantum corpora sine animabus, tantum res & actiones absque ordine pretii habent atque Utilitatis. Prudentiæ non postremus est labor, Ordinem curare, instituire, servare; compendium quoque maximum in rebus est, Ordinis observatio; neque solum compendium, sed etiam decorum & ornatus ab Ordine rebus advenit. Tolle ordinem in membris humanis, monstrum est, tolle ordinem, in ædificiorum saxis, acervus est. Sic de aliis. Præcipuè tamen Ordo invenit sibi locum atque domicilium in cætibus ac domibus ac personis Religiosis: adeo, ut etiam Ordines vocentur Religiosorum cætus, non aliâ de causâ, quàm quia in Religionibus præcipua causa est Ordinis: quæ si non sit, Religiosi cætus Religiosorum nomen non mereantur, & proinde amor, cura, observatioque Ordinis, Religiosis tam cætibus, quàm personis commendatissima esse debeat, ac inter alias observantias, hæc maxime observanda.

2.

Ordo in Religionibus (cùm enim hæc præcipuè Religiosis scribantur, de his etiam totâ tractatione istâ præcipuè agendum erit, exemplaque

plaque & documenta Religiosis apta afferenda) multiplex est. Nam est Ordo totius Instituti Religiosi, quo ordinatum atque præscriptum est cuique Religioni, quid sit ejus Instituti, quid non; quibus eam distineri laboribus & occupationibus sit ejus proprium, quibus verò alienum; quibus principale & substantiale, quibus accessorium & ex supererogatione: quid sit in Religione Finis, quid medium ad finem &c.

Est etiam Ordo personarum, quem distinctionem vocare possumus. Ita alii sunt novitii, alii jam vota professi, & horum alii juniores, alii veterani; horum rursus alii ad opera domestica, alii ad spiritualia, alii solenniter, alii simplicia professi: alii Superiores, alii subditi &c.

Est etiam Ordo Actionum, ut primò Probatio fiat; eaque prima, tum secunda: post Probationem alia succedant ministeria, ut studere, docere; tum circa officia Religionis occupari.

Est etiam Ordo Temporum, est Locorum, est Operum, &c. Sed his omissis & tanquam notis relictis, ea quæ sunt nostri propositi, de hoc Ordine explicemus.

Dicimus ergo Religioso maximam curam esse habendam Ordinis, si vult proficere in Virtutum studio, & alia commoda consequi, damnaque non perpeti evenientia his, qui Ordinis aut studiosi, aut incurii sunt. Est autem Ordo Religioso observandus duplex: alius Religionis, alius Religiosi ipsius. Religionis Ordinem illum voco, quem Religio præscribit vel omnibus, vel certe penè omnibus. Talis Ordo est, certâ horâ surgere, post surrectionem tan-

A 5

tum

tum temporis immediati, præparandæ Orationi seu meditationi impendere, per horam meditari, tum sacro interesse, deinde studiis operam dare &c. Religiosi Ordinem voco illum, quem sibi ipse Religiosus pro suo usu & libitu, à se ipso servandum præscribere debet; ita tamen, ut non prætereat ordinem illum Religionis, sed eo supposito atque salvo, suum illi adjungat. Cujus Ratio hæc est. Quia enim Religio non potest, neque etiam debet, unicuique personæ suæ præscribere Ordinem minutum & particularem omnium agendorum à personâ; id enim nullâ ratione commodè fieri potest à Religione aut à Prælati Religionis, potest autem à Religioso ipso; ideo Religiosus ipse debet sibi hunc ordinem ipse præscribere particularem.

Exemplo fiet res clarior. Religio præscribit personæ ut concionatorem agat. huic illa dat suum illum ordinem prædictum, communem omnibus, surgendi, Meditationem parandi, eandem faciendi, Sacri dicendi, Examinandi consciam &c. sed tempus & ordinem studendi, Patres legendi, Concionem parandi, Scripturæ ipsius & interpretum legendorum, Horas Canonicas dicendi, extra Ordinem Orationi mentali aut vocali vacandi, librum spirituales pro suâ ædificatione lectitandi, à laboribus requiescendi, Templi visitandi &c. Religio non præscribit, neque potest, neque tenetur; relinquit hoc Concionatori, seu personæ, ut ipsa sibi hunc ordinem actionum, & temporum actionibus deputandorum præscribat. Similiter Religio jubet aliquem studiis vacare aliquibus; huic illa dat ordinem suum illum communem, surgendi, orandi,

G. 31
Sicut
oper:
T. 111:
N. V
56

orandi, Sacrum audiendi, ad Scholam eundi, ab eâ discedendi, vacandi, privatim domi studendi. Cæterum eadem Religio non præscribit tali Religioso, quos autores quis leget, quam diu quas lectiones repetet, quis disputationi vel oppugnationi sese præparabit, quid privato studio & quibus horis discet &c. relinquit hunc ordinem ipsi personæ, sibi met præscribendum atque servandum. Par sit iudicium de iis, qui à Religione Superiores, Professores, Magistri, Confessarii, Temporalium officiorum curatores constituuntur. Omnibus enim hæc industria ut conficienda, ita etiam observanda, à Religione relinquitur. Quam Industriam, Ordinem temporum & Actionum possumus appellare; in quo cupio & suadeo, ut Religiosus sui profectus amans, ita tempus suo arbitrio à Religione relictum ordinet, ut cuique temporis assignet actionem certam, illo tempore peragendam, & nullatenus differendam, nisi necessitas, obedientia, Charitas, exigat oppositum.

Sub hoc porro temporum & actionum privato ac personali ordine comprehendere cupio à Religioso, atque ordinari, non solum tempora notabilis Quantitatis, aut actiones longioris durationis, sed etiam minuta tempora & opera, quæ micæ & fragmenta temporum dici possint. de quorum observatione, alius dicendi locus erit exactior, nunc sufficiat id Religioso commemorasse, ut meminerit hæc micæ temporum notare, & cuilibet earum, actiunculam aliquam seriam (cuperem autem piam & ad Deum directè ducentem, aut mentem recolligentem sibi que reddentem) intra tempus illud peragendam

dam assignare; citra tamen notationem aliorum, citra fatigationem virium, citra actionum publicè incumbentium detrimentum ac impedimentum; sed suaviter & modo soli Deo noto, ab aliis autem vix notando.

6. Exempli gratiâ illud tempus, quod infumis per curritorium à tuo cubiculo ad alium quempiam locum, quo aut vage circumspiceres, aut otiosa cogitares; impende brevi tuimet recollectioni, impende ferventi & ignitæ ad Deum ejaculationi, impende intentionis renovationi, impende actuum vel caritatis in Deum, vel humiliationis tui, vel resignationis repetitioni, impende alicujus rei postulationi, impende Virtutis menstruæ actui, impende propositi in Oratione facti innovationi, impende practicæ præmeditationi operis quod acturus vadis. cuicumque ex his exercitiis piis, fragmentum illud temporis impendes, absque fructu tuo non impendes. Atque si id cuilibet tuo per curritorium transiitui condimentum addideris; tu ipse judica, quot & quantis & quoties in unum diem (mensem, annum) meritis profectibusque animam tuam locupletabis, quosvé actibus, virtutis habitum in te radicabis & firmabis.

7. Explicatus hæcenus Ordo Temporum atque actionum, si à Religioso eâ quâ par diligentia fervetur semper, inter alias plurimas commoditates quas parturiet, afferet etiam hanc, quia semper constabit Religioso ratio vitæ suæ; Semper habebit animam in manibus suis, ad otiosa nunquam vacabit, non dico opera, sed etiam verba & cogitata: nulla illi erit in suæ conscientia disquisitione difficultas; denique semper Spiritu

G. 31
Sicut
operis:
T. 111:
N. V
56

Spiritu fervebit, semper spiritu mentis suæ innovabitur. Quæ an ita sint, experientiæ remitto; quanta verò sint, à Spiritualibus viris librisque discendum, non à me hîc explicandum puto.

INDUSTRIA II.

Modus & Regulae unicuique Operi assignanda & in ejus executione servanda.

Priore Industriâ Ordinem Temporum & Actionum suasimus observandum: hac Industriâ modum in Actionibus servandum docemus. Quæ res latissimè quidem patet; non tamen à nobis ita tractabitur in præsentî, sed tantùm hoc trademus, quod ad fructuosè, fæcundè, facile proficiendum in Virtutibus, per actionum nostrarum usitatarum transactionem servire potest.

Modi igitur nomine intelligimus observationes, & veluti Regulas cuiuslibet operi competentes, quarum diligenti observatione fiant opera non tantùm bona sed etiam perfectâ, etiam ornata, etiam meritis fæcunda & animam ditantia, consequenterque Dei gustui atque placito valde grata. Hæ observationes seu Regulae, triplicis generis esse possunt. quædam præscriptæ à Religione, aut ab aliquâ simili autoritate cui sit obediendum; quædam à naturâ rei profluentes; quædam spontè à nobis ex devotione nostrâ desumptæ, etiam nobis in tali vel tali opere ad observandum injunctæ. Atque hæ triplicis generis observationes, aliquando concurrunt omnes ad unum aliquod opus, aliquando aliqua tantùm

tum ex eis. v. g. Actio comedendi, habet à Religionē præscriptam observationem, ut præmittatur ei benedictio & sequatur eam Gratiarum actio: item, ut dum corpus edendo reficitur, sua etiam animæ refectio tribuatur. Eadem actio habet à naturâ suâ præscriptam regulam Temperantiæ, ut in cibo non gulæ, non voluptati, sed necessitati ac sufficientiæ serviatur. Eadem insuper actio habere potest observationes eas, quas quisque ex suâ devotione & pietate sibi præscribet. Quomodo Sancta Gertrudis ex Christi consilio omnem bolum sumendum in Christi intingebat Sanguine: Beatus noster Aloysius ad prandium recolebat fel & acetum Christi, eoque condiebat cibos suos, ad cœnam, Christum cœnantem cum discipulis habebat propositum.

9.

Hæ ultimi generis observationes bifariam dividi possunt. aliæ namque sunt veluti substantiales operi bono & meritorio quatenus tale est, ita ut nisi illæ adsint, opus parum valoris sit habiturum: cujusmodi sunt, ut sit opus vel ex naturâ suâ bonum sive honestum, vel saltem non malum, sed indifferens, & capax honesti finis. Item ut sit rectâ intentione factum, & eâ quidem supernaturali. Item ut sit ab homine in gratiâposito &c. Quas observationes quàm sit necesse adhiberi ad operum executionem, vix attinet dicere, cùm res ipsa loquatur. Ita siquidem se habent, ut ad medium illud genus ex tribus, revocari merito possint.

10.

Aliæ porrò sunt non jam substantiales, sed accessoriæ; & veluti exornativæ, quæ suppositâ Comitate & supernaturalitate operis, illud insu-

pet

per or
affectu
dique
huc su
tatesqu
quæ op
magnu
ferre,
ac ditat
præsen
Deo p
fectum
aut ex
Pr
ut ama
ctionib
beat c
observ
supere
ac sibi
empla
nostr
horæ
litus &
B. Bo
genua
& Inc
tur, &
bat.
mè ex
se ver
set, c
plena
pietat

per ornant variis Virtutum actibus, variis piis affectibus, quos suggerit pia & devota, placendique Deo cupida Voluntas. In quibus ipsis adhuc sunt gradus, & quædam celsitudines sublimitatesque defæcata in spirituali vitâ non incognitæ, quæ operibus nostris adjunctæ, non possunt non magnum illis pretium & pondus & meritum asferre, consequenterque, eximiè animam ditare, ac ditatam, Deo insuper gratam & gratiosam representare. Namque cui dubium esse potest, plùs Deo placere, defæcatumque magis esse opus profectum ex Dei Caritate, quàm ex servili timore, aut ex præmii æterni cupiditate? &c.

Præfens igitur Industria, hoc præcipuè vult, ut amator profectûs sui spiritualis, in singulis actionibus suis ordinariis atque notabilioribus, habeat certas praxes & observationes, quas in eis observet, & quibus actiones illas modo quodam supererogatorio exornet, gratiosioresque Deo, ac sibi fructuosiores faciat. Industriæ istius exempla vix ullo in Sancto desunt. Ita S. Xaverius noster dum horas Canonicas recitaret, unicuique horæ Hymnum *Veni Sancte Spiritus Emitte cælitus &c.*, magno cum pietatis gustu præmittebat. B. Borgia, quoties à somno surgebat, statim in genua provolutus, & SS. Trinitatem adorabat, & Incarnationis Dominicæ mysterium venerabatur, & suam vilitatem infra omnia creata abjiciebat. Petrus Faber in hoc genere Industriæ maxime excelluisse mihi videtur. quippè quocumque se verteret, quidquid ageret, ubiubi locorum esset, certas observationes suas, pietatis eximiæ plenas habebat. Sancta Gertrudis (ut in Divinæ pietatis insinuationibus refertur,) nihil quoque videtur

II.

videtur unquam egisse absque istiusmodi Industria: Inter has fuit illa una, ut quoties esset alicui locutura, linguam suam in Christi Sanguine intingeret, ut sic lingua purificator, & sermo efficacior esset. Talia verò plurima in dicto Insinuationum libro reperiet qui volet, atque ad eorum normam pro suo Spirituali gustu, multa sibi in suis actionibus observanda deliget. Pater Jacobus Alvarez, vitæ spiritualis Magister inter primos clarus, in hoc genere Industriae explicando, benè magnum volumen insumpsit, omnia quæ à nostræ Societatis hominibus, diebus, hebdomadis, mensibus, semestribus, annis singulis obiri solent opera, recenset, & quæ unumquodque perfectione obiri possit, satis exactè docet: ita, ut qui ejus præscripta observet, nihil magnopere in suis operibus desideraturus sit, quod ad perfectionem desit. Quanquam & ille his, quæ dicto Volumine deicit, nemini interclusit facultatem, alia & alia excogitandi, quæ pro suâ pietate, in suis operibus & actionibus observet: quin potius viam & modum ad talia invenienda aperuit, dummodo sit, qui hac Industriam uti non graveatur. Atque ut hac de re pressius aliquid dicamus.

12.

Amator sui profectus habebit certas observationes, quas observet, dum è lectulo consurget, dum se vestibus induet, dum Orationi initium dabit, dum orabit, dum ab Oratione recedet. Habebit certam rationem Missæ audiendæ, Examinis faciendi, Coronam B. Virginis recitandi, cibum capiendi, foras ex cubiculo vel domo prodeundi. Habebit certas observationes in Confessione suorum peccatorum, in Recitatione Officii Divini, in Præparatione sui ad Missam, in ipsâ

ipsâ Missâ, post Missam: in confessionibus aliorum audiendis, in adeundis proximis & alloquendis, in Concionibus parandis & dicendis, in lectionibus parandis & habendis &c. Habebit certam rationem Collectionis hebdomadariæ, ac mensuræ, ac semestris, ac annuæ faciendæ. Habebit certam rationem, certas festivitates Ecclesiæ celebrandi, ut sunt, Tempus Adventûs, Quadragesimæ, Rogationum, Quatuor Temporum. Festa quoque Natalis Domini, Circumcisionis, Resurrectionis, Pentecostes, Corporis Christi, nec non festa B. Virginis, Festa Patronorum &c.

Has istorum aut similium operum obeundorum rationes, unusquisque vel excogitabit ipse, vel ex libris petet, vel ex Patribus Spiritualibus discet: nam hîc illas à me poni, & longum esset nimis, ac præter hujus Tractationis propositum, & præterea frustra hic labor assumeretur: quia non omnia omnibus sapiunt, & præstat in hoc genere rerum permittere, ut quisque in suo sensu abundet, suoque palato serviat.

Quærat aliquis, quænam potissimum censendam in operibus nostris prædictis observanda, & ad quæ in hisce observationibus respiciendum sit. Respondeo in primis, non probare me, ut multæ observationes fiant; hæc enim res est onerosa & fatigat, fastidium deinde parit, contemptum tandem ac denique neglectum. Pauca igitur atque selectæ designentur, quæ commode fieri possint suo tempore, neque opus sit festinanter ac tumultuariè fieri. Sic enim exiguus fructus, nullus esset gustus earum observationum. Adde deinde, in actionibus primum locum deberi iis

V.P. Druzb. Op. IV.

B

obser-

observationibus, quæ sunt vel ex naturâ rei, vel ex præscripto Religionis Obedientiæque, alicui actioni annexæ, de quibus supra hîc initio dixi fol. quibus ubi fuerit satisfactum, & aliàs insuper addere placuerit, tum id fiat.

14.

Ac præcipuus primusque locus sit Intentioni bonæ, quæ quo erit purior, tanto melior. Intentioni succedat prævisio occasionum tam peccandi, quàm merendi in opere faciendo. Quod si hæc prævisio non est necessaria, eò quòd jam hæc occasiones aliàs sint notæ, succedat Propositum de eis vitandis quæ sunt ad malum, arripendis quæ ad bonum. Atque hîc potissimum cuperem haberi rationem ejus vel vitii, cum quo Examine particulari, menstruove exercitio pugnatur, vel ejus Virtutis, quæ similiter per singulos Mensis dies ad exercendum assumpta est.

His si placebit addere excitationem fervoris ac Intensionis seu applicationis & diligentia in agendo, Exemplum quoque seu imitationem Christi aut Beatæ Virginis, aut certi Sancti, Honorem quoque Sancti cujuscumque &c. Oblationem sui, Impetrationem aliquarum rerum sibi aut aliis, satisfactionem pro se, pro aliis, vivis, mortuis, hæc omnia utiliter fient, modò ne longo tempore, cum fatigatione, cum festinatione: Sed serbè, breviter, devote fiant. Præstat alioqui pauca benè & strenuè agere, quàm multa tumultuarè & fastidiosè, quia actus unus intensus pro mille remissis facit.

15.

Forstian alicui non displicebit, quod addidit ex Andréâ Capellâ pio scriptore: qui in quodam suo opusculo collegit plurimas actiones humanas & easdem piè peragendi modum singillatim præ-

scripsit.
tionem
cre Scrip
Subjungi
ni cong
Confusio
Non
dem Aud
cium or
bis manè
Sente
rum IES
rum, &
vestiment
me. Qui
Conf
catum si
poris: U
tus, ut
mortuus
Grat
providit
lamus: i
rum, G
Conf
nostræ,
ptismo s
ties, lice
Petit
iterum v
ditatem
fusio no
digne co
Obla

scripsit. Sunt autem sex, quos ad quamlibet actionem adscripsit. 1. Præmittit Sententias Sacre Scripturæ aliquas actioni accommodatas. 2. Subjungit considerationem aliquam, etiam actioni congruam. 3. Gratiarum actionem. 4. Confusionem. 5. Petitionem. 6. Oblationem.

Non pigebit autem, exemplum unum ex eodem Auctore hic inferere. Est igitur ejus exercitium ordine secundum, dum in vestiendis nobis manè occupamur.

Sententiæ Scripturæ. Induimini Dominum nostrum IESUM Christum. Abjiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Induit me Dominus vestimento salutis, & induimento justitiæ circumdedit me. Qui vicerit, induetur vestimentis albis.

Rom. 13. 14.
1b. 12.

Consideratio. Consideremus quod per peccatum simus subjecti frigori & aliis injuriis corporis: Unde egenus vestimentis. Sed & Christus, ut peccata nostra expiaret, nudus in Cruce mortuus est.

Gratiarum actio. Agamus Grantias Deo, qui providit nobis unde vestiamur & frigora depellamus: item quia nuditatem animarum nostrarum, Gratiæ suæ veste vestivit.

Confusio. Erubescamus nuditatem animæ nostræ, cujus primam Innocentiæ vestem in baptismo sumptam laceravimus, immo eandem toties, licet à Deo instauratam iterum discerpimus.

Petitio. Petamus à Deo, ut dignetur hanc iterum vestem reparare & vestitu virtutum nuditatem nostram contegere, ut amoveatur confusio nostra, & anima congruè vestita, possit se digne conspectui divino sistere.

Oblatio. Offeramus nos Domino ad perfecti-

112
i
115007
T

rendam ejus amore Pauperiem, Nuditatem, & denique ipsam Crucis mortem. Hucusque exercitium prædicti Autoris; in quo, ut apparet facile, permultum est pietatis. Neque difficile erit Amatori profectus sui, talia sibimet apparare pro actionibus suis, aut certe ex eodem autore mutuari.

16.

Finem huic Industriæ imponam, si primum rogavero perfectionis amatorem, ut hujus Industriæ usui, quam optime affectus esse curet: neque nimiam sibi perfectionem præscribi, aut gravem sibi laborem suaderi putet. Sit certus non facturum se hac in re tantum, quantum multi Dei servi factitarunt & faciunt. In vitis Patrum legimus, quendam ex eis, colloquentem cum aliis fratribus orationes complevisse. Pater Jacobus Alvarez, refert de quodam Patre Societatis, quod in dies singulos, 100. Dei nomina considerare, sub iisque SS. Trinitati honorem habere solitus fuerit, idque exercitium per multos annos continuaverit. Pater Josephus Anchieta, nunquam à continuâ Dei præsentia cessavit, & omnium, quæ agebat, rationes, ex Deo desumere solitus fuit. S. Augustinus de seipso refert Ep. 151. se, antequam obdormiret, in lectulo cubantem, de Beatâ vitâ cogitare solitum: deinde orare, ac tandem dormire. S. quoque Ambrosius suam in simili consuetudinem dum nobis commendat, refert. lib. 3. de Virgin. et enim. *In ipso cubili, volo Psalmos cum Oratione Dominicâ frequenti contextas vice, vel cum evigilaveris, vel antequam corpus sopor irriget.*

17.

Mitto alios, nusquam hæc in libris & vitis Sactorum non invenies. Multa possumus, modo

posse v
facilior
docilem
& qua
modò
perinde
eam no
ramus.
posse de
in unum
quod d
autem i
nullum
tioniqu
ve, fiat
devotio
novetur
Hoc in
cum iis
fistere,
præscrip
id posse
neque e
ergo fit
fectioni
bus? E
difficili
actione
bus, ve
rantibus
fit cona
severan
desidera
Ex h

posse velimus, dies faciet leviora omnia, faciet
 faciliora, faciet usitata, ac fere connaturalia,
 docilem namque Deus providit nobis naturam,
 & quæ infuescere facile possit, immo & velit,
 modò nos regere naturam velimus, & quæ est
 perinde ad mala atque ad bona per se indifferens,
 eam nos ad bona convertamus, & à malis aver-
 tamus. Quis credat, in dicendo Sacro, tot
 posse devotiones (ut vocant) observari, quot si
 in unum congregentur, possint Sacrum ipsum
 quod dicitur, mole suâ exæquare. Observari
 autem ita, ut nulla sit temporis prolongatio,
 nullum per hoc præjudicium reverentiæ atten-
 tionique, ad ea quæ in Sacro dicuntur aguntur-
 ve, fiat. quin potius, ut per hoc & augeatur
 devotio, & excitetur reverentia, & attentio in-
 novetur, & fructus ingens animæ proveniat.
 Hoc inquam vix credibile videtur, & vix posse
 cum iis, quæ in Missâ dicuntur agunturvé con-
 sistere, præcipuè nihil ad mediam horam Sacro
 præscriptam, temporis addendo: & tamen fieri
 id posse ac solere, ab iis scio, qui facere solent,
 neque operæ pretium mentiendi habent. Quod
 ergo fit ab aliquibus; cur non ab omnibus per-
 fectionis & negotiationis Spiritualis amatori-
 bus? Et quod fieri potest in hac unâ satis per se
 difficili, totumque hominem sibi vendicante
 actione; cur non possit fieri in aliis, vel simili-
 bus, vel etiam minùs hominem totum deside-
 rantibus? potest absque dubio; modò non de-
 sit conatus, non desit industria, prudentia, per-
 severantia, quæ si adfuerint; non patietur se
 desiderari, avida talium laborum Divina Gratia.

Ex his quæ hæcenus dicta sunt, facile con-
 cludi

cludi potest, quanta sit & utilitas & necessitas
 hujus industriæ iis, qui perfectionem amant. Hæc
 enim est una ex præcipuis rationibus proficien-
 di in Spiritu, virtutes exercendi, merita conqui-
 rendi, interiùs operandi, assiduè cum Deo agen-
 di & versandi, otiosos ac inutiles actus devitan-
 di, perfectos tamen & sublimes mortificandi.
 Hæc etiam ratio est una, animam propriam sem-
 per in manibus suis habendi, ejusque profectus
 & defectus quasi in numero habendi. Dum
 enim cuique actioni peragenda certos homo-
 modos habet: ut primum in modum oculo-
 rum mentis conjecerit, & actionem ad eos compar-
 rit, illicò perfectionem actionis, statimque pro-
 fectum suum & vigilantiam suam cognitam &
 perspectam habebit: unde perpetuus ei erit sti-
 mulus, aut ad perseverandum, si proficere se ad-
 vertit, aut ad acriùs vigilandum, si deficere se
 negligere aliqua recognoscit: Quod totum ma-
 ximi est in vitâ Spirituali momenti.

INDUSTRIA III.

*Per partes assuescendum observationibus
 Actionibus, ut vitetur fatigatio &
 actuatio.*

49. PRæmissa proximè Industria, hanc obiectam
 solet, eâ uti cupientibus difficultatem, quam
 etiam ibidem perstrinxi, quòd videatur laborio-
 sa & multiplicatæ reflexionis: itaque obnoxia
 fatigationi capitis, viriumque ac instrumentor-
 um, per quæ anima nostra operatur. Huic dif-
 ficultati, necnon & aliis similibus, quæ sese etiam

in aliis
 præsen
 Ne
 fatige
 veluti
 Ut no
 operib
 tot, c
 etiam
 pauca
 aliqua
 illas r
 Regul
 cation
 diu ac
 breve
 esse ra
 bita f
 nunq
 alia le
 ta, et
 quire
 poris
 passio
 corpo
 sensu
 tem a
 comp
 stem
 lis erg
 serva
 II
 ejusd
 ribus

in aliis Industriis offerent, obviat & medetur
præsens Industria.

Ne igitur, hac observationum observatione
fatigemur atque obruamur; hæ servandæ erunt
veluti Regulæ, atque hic modus tenendus. I.
Ut non multiplicentur observationes dictæ in
operibus, nec multæ illis apponantur, sed tantum
tot, quot faciendis sufficere possumus, immo
etiam non tot sed pauciores. Præstat namque
paucas diu vel perpetuò facere, quàm multas
aliquamdiu tantum, posteaque deficere, & nec
illas nec ullas posse exercere. Qualem etiam
Regulam dant Magistri Spirituales in mortifi-
cationibus externis, quas tales esse oportet, ut
diu adhiberi possint. hoc est; præstat eas esse
breves & frequentes, quàm longas & graves
esse raras. Graves enim semel vel iterum adhi-
bitæ frangere sic vires possunt, ut postea vel
nunquam vel diu fieri non possint, immo nec
aliæ leves sustineri. Breves autem & modera-
tæ, etsi frequentes, nunquam ita vires atterent,
qui repeti valeant. Itaque graves illæ, vires cor-
poris frangent, rebellionem autem sensûs &
passionem non edomabunt: immo dum fracto
corpori indulgendi necessitatem inducent, &
sensui & passionibus robur dabunt: breves au-
tem ac modestæ, sensum & passionem sensim
compescent, vires non frangent, sicque & ho-
stem expellent, & Civem servabunt. Consimi-
lis ergo etiam est Regula in observationibus as-
servanda.

II. Ut observationes dictæ, quoad fieri potest,
ejusdem generis seu speciei vel omnibus vel plu-
ribus, actionibus accommodentur. Sic enim

B 4

fiet,

fiet, ut observationum istarum usus in unâ actione, evadat facilior in alterâ actione; atque in uno eodemque labore assuefiat animus iisdem observationibus servandis in ordine ad plures actiones. Exempli gratiâ, Intentionis renovatio assignetur observanda in matutinâ surrectione, in Oratione, in Sacri auditione, in studiorum initio &c. Inde fiet, ut in decursu harum actionum, usus renovandæ intentionis quando surgitur è lecto, valeat ad duo minimum. 1. Valebit ad hoc, ut etiam crastinâ die, dum surgitur, intentio renovetur, & sic deinceps. aliquot enim diebus vel hebdomadibus intentio renovata inter surgendum, sic insuefaciet mentem & memoriam hominis, ut deinceps quotiescunque surget, semper eî, Renovandæ intentionis in mentem labore nullo, sed quasi naturaliter veniat. 2. Valebit ad hoc, ut etiam in sequenti opere, v. g. in Meditatione intentionem innovet facile, minusque in eâ laboret; & sic deinceps.

21.

III. Ut observationes dictas, non laboremus in omnibus simul actionibus (diurnis etiam) usurpare, sed sensim id & per partes faciamus. Assumantur initio actiones duæ vel tres diurnæ: iis observationes modo jam dicto assignentur: assignatæ aliquanto tempore, hoc est per unam, alteram, hebdomadam aut mensem usurpentur, ita ut usurpatio illa sine labore fiat, ut ad eam sponte se mens excitet, ipsaque Sponte suâ menti occurrat semper, quoties aliqua ex illis actionibus duabus vel tribus agenda erit. Ubi jam sic ad tres actiones assueverimus dictis observationibus; assumamus rursus alias tres; & priores

non

non intermittendo, his etiam novis eodem modo per aliquot hebdomadas infuescamus: & posteaquam his quoque infueverimus; iterum alias assumamus, & observationes in eis usurpare, itidem eadem ratione condiscamus, donec omnibus actionibus quibus volumus, affuescamus. Talis modus servatus, nullam fatigationem inferet viribus, nunquam enim labor assumetur major, quam fuit initio ad tres primas actiones assumptus. Cum enim ab affuetis non fiat passio, & quibus infuevimus, iis non fatigemur; (quod præcipuè in mentalibus actibus verum est) hinc fit, ut initio tantum circa tres actiones laboremus: quo labore in assuetudinem & facilitatem verso, dum circa alias tres novas actiones laboramus, tantum circa has laborem habemus, circa priores vero nihil fatigamur, quia omnia ex habitu & facilitate operamur. ab affuetis autem, ut dixi, non fit passio, & sic deinceps discurrendum est. Atque hæc Regula servata omnem indiscretionem atque actuacionem aditum præcludit. Habet autem locum etiam in aliquâ aliâ industriâ, quam suo loco subjungam. Nunc autem notandum est pro præsentem

IV. Ut actiones in quibus, observationibus nostris uti volumus, non sint nimium minutæ, sic enim fatigatio non evitaretur, & vis fieret capiti, exhaurirentur Spiritus animales ac vitales, nimia & nimis frequenti continuatâq; actuacione. Quod periculum in vitâ & B. Aloysii nostri & Joannis Berchmanni observatum à Patribus Spiritualibus legimus, sed non perinde ab illis beatis animabus declinatum. Sint igitur actiones observationibus nostris ordinandæ, graviores

res & notabiliores: non nimis multæ: non nimis breves. Sic namque fiet, ut vitetur multitudo, continuatio, actuatio, fatigatio, fiet verò ut actiones obeantur prudenter & perfecte, observationes verò usurpentur suaviter & discretè.

23.

V. Ut harum observationum nostrarum non simus servi & mancipia, neque avari ac scrupulosi earum à nobis exactores, neque si eas vel earum aliquas omitti aliquando contingat, ob id nimium simus anxii; agamus talia in spiritu libertatis: & cujusdam ingenuitatis. Quod si subnascentem in nobis morosam sollicitudinem adverterimus, ejus remedium sit, omissio talium observationum, saltem ex parte & aliquarum, earum præcipuè, quarum omissio nos pungere videtur, aut si omissio cui dura videtur, non omitat, sed permutet, aliam in aliam, aut certè differat, aut transponat: ut ita suum jus in his retineat & sub devotionum suarum non redigatur potestatem.

Anxietatis namque illius si à rationis & prudentiæ moderamine remedium esse non potest, præsentissimum remedium est, illa vel omissio, vel immutatio. quorum utrumque est etiam quandoque remedium opportunum vanæ gloriæ subnascenti ex observationibus (vel aliunde) illiusmodi reprimendæ. Si quis enim sibi complacet ex eo, quòd consuetudines suas (loquor de spontaneis, non autem de præceptis ab Obedientiâ, & naturâ rei ipsius) diu & exactè servet: is prudenter faciet, si eas vel omittet, vel immutabit, vel transponet. Quod si damnum metuit meriti, tum vel aliter supplebit, vel ipsa ommissione (ob dictam causam) se hoc ipsum meritum

lucra-

lucratum sciat. Neque hoc est Diabolo cedere, sed potius diabolo & vanæ gloriæ resistere, occasionemque intumescendi conscientiam auferre, quæ enim ex continuitate observationis offerebatur, eadem si se aliquando omisisse recordabitur; elationis occasionem non habebit. quod est non tantum Diabolo restitisse, sed etiam periculi in posterum creandi illi materiam subduxisse.

VI. Immo verò expedit hoc etiam in dictis observationibus servare, ut non semper serventur, sed aliquando immutentur, ut fastidium vitetur, ut mutatione mens & fervor renovetur, ut perfectioribus exercitiis (quod notandum) locus detur. Neque enim semper omnia nobis occurrent, immo Deimos est, ut ab imperfectioribus ducat ad perfectiora; immo adhuc experientiam constat, unam eandemque veritatem, quæ satis clarè videbatur fuisse penetrata, postmodum auctâ desuper à Patre luminum, luce longè sublimiùs penetrari, & ex cujus penetratione practicas conclusiones atque observationes deduci, & actionibus apponi posse.

Quare hîc etiam habet locum illud, ut non simus servi nostrarum devotionum, observationum, & consuetudinum: id enim fieret magno animæ damno, & magno, ut ita dicam, gratiarum divinarum in nobis vel impedimento, vel contemptu, semperque hærendum esset in incipientium statu, aut cum eo ad altiorem viam pergendum, quod necessarium non est, immo frequenter absurdum. Itaque si ad perfectiora nos Deus vocet exercitia, non vereamur relinquere imperfectiora. Cùm essem parvulus, sapiebam

piebam ut parvulus; cùm autem factus sum vir; evacuavi ea quæ erant parvuli; ait Apostolus: *Quidni & nos ejus exemplo idem faciamus?*

25.

VII. In Observationum istarum (quod etiam in omnium nostrarum privatarum devotionum & exercitationum usu locum habet) usurpatione, vitandum est: ne propter nostras spontaneas & voluntarias observationes, negligamus ab obedientiâ vel à naturâ rei præscriptas, sive observationes, sive actiones. Id enim esset non proficere sed deficere: id esset propriæ Voluntatis mancipium fieri & observationibus suis servire.

Mat. 23, 23.

Illa Christi Regula servanda est, *hec oportet facere, & illa non omittere.* alioqui objiceretur

Mat. 15.

nobis meritò quoque Phariseis: *Quare vos propter traditiones vestras transgredimini mandatum Dei?*

In hoc peccant illi, qui v. g. propterea, ut Officium de Conceptione recitent, tempus spirituali libro, Meditationis Præparationi, examini conscientix deputatum illi suffurantur: Similiter illi, qui devotionibus ad mensam attendunt, lectioni autem mensæ aures non dant, neque ex eâ fructum capiunt. Item illi, qui in externis occupationibus peragendis ad suas internas devotiones absorbentur, & exterius imprudenter, contra judicium, cum damno, cum aliorum molestiâ operantur. Horum mores probare non possum, neque sectandos cuiquam suadeo, quippe hi mores, & disciplinæ, & ordini, & obedientiæ adversantur, scandalis, schismatis, sermonibus, occasionem dant: & ipsis eorum authoribus, ad nihil, nisi forte ad superbiam, illusionem, & ruinam profunt.

Quæ

Quæ in hac Industriâ explicandâ tradidimus, ad eum præcipue fructum nobis pariendum conducent, ut in Exercitiis nostris Spiritualibus, securè, discreteque progrediamur, tum ut cum facilitate, immo & cum celeritate in eis proficiamus. Etsi enim videtur hic esse modus lentior; & per modicos veluti questus opes Spirituales corradere; est tamen longè velocior opposito agendi modo. Celerius certè is currit, qui lento quidem, at æquali, & continuato ad finem usque viæ cursu currit, quam is, qui initio quidem festinavit, sed ipsâ festinatione fatigatus decursu desistere ob virium ad pergendum defectum coactus est. Ille enim tandem ad finem viæ perveniet: iste autem, finem itineris nunquam attinget. Sat citò si qui sat bene. Sed non sat benè, neque sat citò qui nunquam.

INDUSTRIA IV.

*Actiones nostræ Intentione variorum Finium
compatibilium secundandæ, & non unus ex eis
fructus (ut vulgo fieri à bonis etiam
solet) decerpendus.*

EA est tum Divinæ mentis liberalitas, tum actionum nostrarum, ut ita dicam, tractabilitas; ut per unam actionem nostram (dummodo non malam ex se) ad multos fines applicare possimus, consequenterque multos effectus & fructus unius operis consequi Deo non tantum manum suam non arctante, sed immo etiam liberalitate suâ divinâ planè dilatante. Non comprehendam hac Industriâ totum, quidquid eâ includi pos-

26.

di posset: aliis id Industriis reservabo explicandum: hictantum exponam, quos ad fines, & ex quibus rationibus possit una eadem actio applicari, non absque utilitate & profectu animæ.

Possumus igitur actione nostrâ qualibet, 1. Deum laudare atque exaltare. 2. Possumus imitari eundem. 3. Possumus gratias agere eidem. 4. Immolare nos & dedicare seu offerre ac donare eidem. 5. Mereri bona tum spiritualia, tum temporalia. 6. Impetrare seu nobis, seu aliis. 7. Satisfacere pro nobis ac aliis. 8. Satispati pro nobis ac aliis pro futuræ vel præsentis vitæ pœnis. Rursum possumus similiter qualibet actione nostrâ, nihil præjudicando proximè positis, laudare, honorare Christum, B. Virginem, Sanctissimos omnes & certos. Imitari eosdem, agere iisdem gratias, ornare & adjuvare actiones nostras meritis, gratiis, precibus illorum: easque efficaciores reddere ad impetrandum, ad satisfaciendum & satispatiendum. Possumus reddere gratiores gustui divino per eadem merita & gratias atque preces, Christi, Dei Matris & Sanctorum.

27.

Mitto alia interim, aliis industriis, ut prædixi, explicanda. hæc quæ attuli ostendere possunt, quantas utilitates ex nostrâ qualibet actione percipere possimus, si actionibus nostris uti sciremus. quantis è contra commodis privamur, dum actionibus nostris, non ita prout possimus, utimur: quantis item in tenebris versentur illi, qui nimis multum se facere, nimis diligentes esse negotiatores spirituales putant, si actiones suas bonas, bonæ intentione actuali vel virtuali facere laborant. Etsi enim hi male non faciunt,

nec

Nec in eo, quod faciunt, reprehendendi sunt, non tamen ideo, quia hoc faciunt, jam diligentes plane omni ex parte censendi sunt. Curandum potius, ut aperire oculos velint, & ad thesauros quos in suis actionibus latentes habent quosque sine fructu sibi perire sinunt, & quos exiguo labore eruere, atque suos pro omni aeternitate reddere possent, aliquando advertere, & veternum excutere & ignorantiam ab animo abstergere. Quotus enim quisque est, qui cum aliquid facit, non est bene contentus opus suum ad Dei laudem dirigere, vel illud pro suis peccatis offerre, vel per illud, aliquid à Deo impetrare, ita quidem ut de eodem opere ad alios usus dirigendo nihil cogitet?

Atque certum est, posse unum opus bonum ad multos fines dirigi, & fines illos per illud, obtineri sine impedimento mutuo illorum finium. v.g. potest uno jejunio & Deus laudari, & Christus imitatione exprimi, & B. Virgo honorari, & Sanctus ille vel ille coli, & obedire præcepto Ecclesiæ & satisfieri pro animabus in purgatorio, & obtineri Indulgentia, & impetrari aliquid Ecclesiæ, nobis, aliis, & meritum gratiæ haberi, & sobrietatis Virtus augeri, & caro mortificari, atque spiritui subdi, & expiari pœna peccatis debita & aliquid temporale impetrari, si Deo ita videatur. Hæc omnia unico jejunandi actu possunt obtineri; neque unus finis alterum impediet, immo etiam adjuvabit. Hic jam judicandum relinquo, si quis jejunium suum offerat ad solam Dei gloriam, vel ad solam satisfactionem pro peccato de aliis finibus nihil cogitet; sitne ille reliquis istis jam enumeratis commodis Spiritua-

ritualibus privatus nec ne. Negari non potest
privatum esse: Quoniam supponimus intentum
ab illo in opere jejunii non fuisse. quod autem
quis non intendit seu non vult id promereri non
potest, in præfenti præcipue materiâ. Si igitur
privatus est commodis, quæ habere solâ Volun-
tatis intentione seu actûs applicatione potuisset,
nunquid hoc parvam jacturam homo Spiritua-
lis, & diligens negotiator reputabit? minime
verò.

Quid igitur faciendum? hoc, quod jam ex
dictis colligi facile potest, ut opera nostra omnia
& singula, majoris præsertim momenti, illâ fi-
nium jam explicatorum varietate imbuantur à
nobis; sitque id quotidianum, ac si fieri potest,
sæpius in die frequentatum exercitium, istius-
modi applicationem finium ad opera nostra fa-
cere, & quasi extensionem quandam operibus,
cujus sunt capacia, addere; extensionem, in-
quam, in valore, non in duratione, aut in aliquâ
aliâ ratione.

Quod autem dixi faciendum operibus seu
actionibus, hoc ipsum faciendum censeo passio-
nibus sive molestiis (animi vel corporis) quæ se
nobis nunquam non ingerunt, etiam non adver-
tentibus; & has enim eodem modo condire su-
prædictis finibus possumus, simulque ad lucra
animabus nostris parienda, fœcundiores facere.
Operæ pretium puto fore, paradigma & praxim
hujus Industriæ ob oculos hoc loco ponere iis,
qui eam Industriam servare, & ad praxeos hu-
jus normam, suas sibi conficere volent. Est
igitur praxis ac paradigma hujusmodi.

Valoria

*Valoris Actionum & Passionum nostrarum ex-
tensio sive applicatio. Per omnes & singulas actiones
ac passiones totius vite meae, quas omnes nunc volun-
tariè accepto de manu Dei.*

*I. Volo Laudare, dignificare, adorare; amare
& revereri Sanctissimam Trinitatem, Deum Pa-
trem, Filium, & Spiritum S. JESUM Christum
Deum, Dominum ac Redemptorem meum. Pretio-
sissimam Dei Parentem VIRGINEM MARIAM.
Sanctos omnes Angelos & homines, ac nominatim
N. N.*

*II. Volo Imitari quàm perfectissimè omnibus &
in omnibus, Sanctissimam Trinitatem, JESUM Chri-
stum, præcipuè pro me passum, contemptum, stultum
reputatum, Pretiosissimam PARENTEM, Sanctos
omnes.*

*III. Volo Agere Gratias Sanctissimæ Trinitati,
ex cujus Gratiâ: JESU Christo, ex cujus merito,
Sanctissimæ Virgini, Sanctisque omnibus, ex quorum
precibus illa facio ac patior.*

*IV. Volo mihi mereri Gratiam sanctificantem,
Gloriam & vitam æternam. Remissionem peccato-
rum quæ nunc retracto, & pœnarum quas merui.
Totum id, quod divina Voluntas vult. Augmen-
tum Charitatis & Virtutum omnium. Benedictionem
in officiis necessitatibusque meis.*

*V. Volo impetrare mihi & Amicis & Sc. Gra-
tias actuales, frequentes, efficaces, finales. Gratias
sanctificantes. Gratias gratis datas congruè ad salu-
tem. Gratias proficiendi heroicè in omni sanctitate
statui propria. Auxilia in consiliis, necessitatibus,
officiis. Temporalium sufficientiam. Preservationem
à malis Animæ & Corporis, Perseverantiam in bono
finale.*

V.P. Druzb. Op. IV.

B

VI. Volo

VI. Volo impetrare Ecclesiae Dei, & Societati
 Jesu. Conservationem & pacem. Propagationem
 & incrementum. Vigilantiam Pastorum. Copiam
 Apostolicorum virorum. Exterminium scandalorum,
 & scandalisantium, atque hostium.

VII. Volo satisfacere & satisfacere. Pro peccatis
 meis & poenis eorum, quae nunc retracto. Amico-
 rum carne & spiritu. Pro poenis peccatorum, alie-
 norum, Superiorum, & subditorum. Pro poenis ani-
 marum in Purgatorio. Inimicorum.

VIII. Volo Omnes & singulas & me per omnes
 ac singulas Sacrificium & holocaustum Deo facere.
 Omnia ex Voluntate mea deliberata; omnia pro
 hoc, & pro omni reliquo vita meae mortisque mo-
 mento, omnia ad gustum & gloriam Voluntatis Dei
 aeternae, meae suavissimae ac semper adorandae Sponsae.

In unione Sanctissimae Jesu Christi in mundo con-
 versationis: nec non Pretiosissimae Parentis.

In unione meritorum & Oratione Jesu Chri-
 sti, Pretiosissimae Parentis, & Sanctorum omnium.

30.

Hactenus promissum Paradigma, cui addere
 aut detrahere poterit qui volet, quidquid volet.
 Ac erit forsan non nemo qui dicet videri sibi ju-
 storum opera, atque afflictiones, etiam si non
 ita expressim ac minutim DEO offerantur, nec
 ad praedictos fines offerantur, neque istae omnes
 rationes in iis reperiri possibiles specificè recen-
 seantur; posse tamen aliquid eorum finitum
 consequi, utilitatemque animae sine hac curâ tam
 exactâ proferre, ac proinde, curam hanc indu-
 striamque, minùs necessariam esse. Sic senti-
 enti, ut contradicere nolim, ut aliquid permit-
 tere etiam possim, omnia tamen non possum.
 cum profectò certum sit, ad pleraque dictorum

opera
 tendi
 implic
 actua
 tione,
 inutile
 um eff
 Cu
 dare,
 propo
 est eti
 possit
 à nobi
 ad me
 scriptu
 vias re
 multitu
 qui eâ
 fection
 ritu, q
 tinet h
 fauros
 stella
 alia at
 turq; il
 Dextri
 ca uter
 jus est
 rigat r
 mei,
 diat &
 sentis
 omniu
 opera

opera passionesque nostras, sive justorum, extendi naturâ suâ, sive voluntariâ expressâ vel implicitâ (quæ tamen in expressâ & explicitâ actualique fundetur) intentione atque applicatione, ut proinde dici non possit, hanc curam inutilem, & hujus Industriæ usum non necessarium esse.

Cuilibet (ut aliàs dixi) in suo sensu abundare, per me licet. hæc non scribuntur, non proponuntur nolentibus sed volentibus. Non est etiam abbreviata manus Domini, ut non possit alios aliis Industriis, longe, quàm hæc sunt à nobis propositæ aut proponendæ melioribus, ad metam perfectionis deducere: nam si de uno scriptum est justo; *justum deduxit Dominus per vias rectas*; quanto id veriùs est de Justorum multitudine, è quibus, audeo dicere nemo est, qui eâdem cum altero aliquo ducatur viâ ad perfectionem; sed tanta sit varietas justorum in Spiritu, quanta est varietas hominum in vultu. Pertinet hoc enim ad divitias Bonitatis, & ad thesauros Sapientiæ perfectionisque divinæ: ut sicut stella à stellâ differt in claritate, ita & perfectio alia atque alia sit omnium & singulorum, impleaturq; illud Psalmi de Ecclesia Dei; *Asistit Regina à Dextris tuis circumamicta varietatibus*. Quocirca utendi Industriis istis, penes unumquemque jus esto. Si alicubi à vero & recto aberro, corrigat me: Si autem aliquid de bonis Domini mei, verum rectumque suadeo; dominum audiatur & sequatur, non me. Atque quod hujus præsentis Industriæ occasione nunc dixi, id ratione omnium aliarum, dictum esse cupio.

31.

Ps. 44. 15.

INDUSTRIA V.

Actiones nostrae Intentione plurium particularium virtutum, affectibusque & actionibus earum, in ratione meriti &c. fecundanda

32.

Non hæc sola, quam modò exposui, ratio est, actiones nostras ad varios fines extendendi, atque per hanc extensionem seu applicationem fecundandi. Sunt aliæ præterea, quibus hîc unam afferimus. Est autem hæc, ut unicuique actioni nostræ, plurium diversarum virtutum motiva apponamus, & ex iis actionem illam exerceamus, ac quod idem est, unam actionem, plurium virtutum actionem esse faciamus. Et hoc enim etiam in nostris actionibus boni est, ut una possit plurium virtutum bonitatem atque honestatem in se complecti, dummodo ad eas virtutes intentione operantis referantur. Substantia igitur Industriæ præsentis in eo est; cum aliquod opus facimus (internum aut externum) faciamus illud ex motivo & intentione plurium, immo quantum fieri commode potest, plurimarum virtutum, dummodo supernaturalium, quales in hominibus justis habitualiter esse certum est. Sed habitus illos oportet in actum educi, ut non solum faciant nos simpliciter posse, per modum potentiæ, sed etiam facilitatem nobis conferant operandi, ex actuum frequentatione partam. Pro cuius intellectione breviter

33.

Observandum est, I. Naturales virtutes fines etsi honestos, nihil ad meritum, gratiam gloriamque conferre homini. Unde actus natura-

rales naturalium virtutum peccata quidem dici non possunt, inter merita tamen computari non possunt, quia ad finem supernaturalem proportionata non sunt: cum media fini oporteat proportionari ac ejusdem ordinis esse. Observandum 2. **Habitus virtutum in nobis duplices esse posse, Naturales ac Supernaturales: seu, quod idem est, acquisitos per actuum frequentationem, & infusos cum primâ gratiâ sanctificante.** Observandum 3. **Habitus naturales ab supernaturalibus in hoc inter alia differre, quod naturales adveniant potentiæ post actus, & acquirantur per actus frequentatos: unde potentiam complent ac perficiunt in eo, ut quod sine habitibus simpliciter tantum potuit, cum habitibus facile possit operari: Supernaturales verò non tam potentiæ adveniant, eamvè compleant, quàm potius potentiam suppleant ejusque vicem occupent. Unde non dant facilitatem operandi, sed tantum possibilitatem seu potentiam: neque ex actibus generantur, sed actus præcedunt, ante quos infunduntur. Unde fit, ut possit in homine esse habitus alicujus virtutis supernaturalis valde magnus & intensus, & tamen esse difficultas in eodem homine ad exercendos actus illius Virtutis. Quod videre est in recen- ter conversis per pænitentiam, qui etsi in gratiâ sint, etsi omnium virtutum habeant infusos cum Gratiâ habitus, tamen habent difficultatem in exercendis actibus virtutum, facilitatem verò & propensionem ad actus vitiorum.**

Ex quo consurgit illud etiam discrimen aliud, inter naturales & supernaturales habitus: quòd cum habitibus naturalibus virtutum per actus ac-

34.

35.

36.

quisitarum, non possint stare simul habitus oppositorum vitiorum, cum habitibus verò supernaturalibus virtutum, possint stare habitus vitiorum virtutibus illis oppositorum: unde accidit illud quod modò dixi, ut recenter conversi, v. g. ebriosi, etsi habeant in se habitum Temperantiae ac sobrietatis, tamen post conversionem recentem, sentiunt difficultatem in abstinendo ab ebrietate, facilitatem verò & pronitatem ad inebriandum. Hoc enim non accidit aliunde, nisi quia habitus illi simul stant, sobrietatis & ebrietatis. Stant autem, quia ille est tantum per modum simplicis potentiae ad sobrietatem, iste autem per modum facilitantis potentiam ad ebrietatem. Eapropter qui habet habitus supernaturales, esto plurimos, esto in gradibus intensis, iste non hoc ipso habet facilitatem operandi seu exercendi actus illorum habituum: quin potius frequenter habet difficultatem magnam in eis exercendis. Oportet ergo, ut istos suos habitus supernaturales ac infusos, in se quodammodo compleat & perficiat actuum competentium exercitio, quò fiat, ut jam illis habitibus supernaturalibus adveniat facilitatio quaedam, ut per eos, non solum possit operari ut ante, sed etiam facile possit actus exercere, atque etiam cum voluptate, lætitiâ, & quasi conaturaliter. Ad quem statum quando à nobis in nobis deducuntur habitus supernaturales; tum efficiuntur perfecti, & nos etiam faciunt perfectos.

37.

Ex quo colligere est. Primò, quàm sit necessarium Virtutum infusarum exercitium actuale, sine quo, virtutum habitus, sunt in nobis prope ac si non essent.

2. Multos in nobis quandoque esse habitus, & qui

& quidem intensos, quos tamen ita habemus, ac si non haberemus, eorum actus nunquam exercemus: nunquam autem exercendo, steriles ac otiosos, & magnâ sui parte quasi imperfectos in nobis relinquimus.

3. Quàm sit necessarium à nobis, in nobis, particularium virtutum per actus unicuique Virtuti proprios exercitium. Quod cum sit valdè laboriosum ac propemodum immensum; inde efficitur, ut unum ex his faciat homo virtutum & perfectionis studiosus: vel ut singularium virtutum actus frequenter eliciat, sicque facilitatem ac perfectionem earum acquirat, & hoc dixi laboriosum esse: vel ut singulas virtutes habens (etiam scripto) collectas, eas certas in classes seu partes dividat, & unicuique classi tempus, quo exerceat, & actus, quibus exerceat, & occasiones in quibus exerceat illas virtutes, in seseque nunc has nunc illas perficiat: vel ut plures virtutes simul, ac distinctè in uno eodemque actu exerceat, quod potest duobus modis fieri: vel solâ intentione Voluntatis & directione actûs in finem & motivum plurium virtutum distinctarum, nullos interea exercendo proprios illarum virtutum actus. ut v. g. quando dico. Volo orare, ex spe in Deum & Charitate, ex obedientiâ, patientiâ, humilitate, Religione, Timore Dei, non eliciendo interim actum explicitum Charitatis, neque affectum aut actum Obedientiæ, neque Humiliationis mei &c. sed tantùm solam orandi actionem ad omnes illas virtutes dirigendo: Atque hic modus est bonus, de eoque præsens Industria procedit: vel certè non solâ intentione virtutum plurium expressarum, sed etiam præte-

rea cum quodam exercitio explicito affectuum, & actuum illis singulis virtutibus priorum. Ut si v. g. dicam, Volo orare ex spe in Deum, à quo omnia spero, ex charitate; quâ diligo nunc Deum super omnia, ex obedientia, quam Deo præsto & superioribus omnibus propter Deum; ex patientiâ, quâ grato animo accipio adversa omnia, quæ Deo placuerit, & placet, me perpeti; ex humilitate, quia ita vilis & mihi ad nihilum sufficiens sum, ut Dei gratiâ egeam in omnibus. &c. atque hic modus est etiam bonus, & priore perfectior, licet fortè laboriosior: quanquam in exercitatis hic labor vix ullus est, & potest brevissima affectûs cuilibet virtuti proprii elicitione perfici; & deinde si semel in die expressim fiat, ad unam actionem vel ad omnes in genere & communi, potest brevissimâ rati habitione sapius, in diem repeti, sine labore ad singulas quasque graviores actiones; servatis præsertim his, quæ Industriâ 3. supra notavimus.

Itaque ex tribus prædictis modis, actus particularium virtutum exercendi, Primus, ut dixi, est laboriosus: secundus satis commodus, est, deque illo alibi dicitur: Tertius, qui bifariam divisus est, est etiam commodus, & hac Industriâ præcipuè commendatur.

38.

Colligi autem ex prædictis 4. potest, hucusque actûs ad intentionem plurium simul particularium virtutum applicatione, duo commoda advenire homini spirituali. 1. Amplificationem meritorum per unum quemlibet sic exercitum: seu, sic pluribus virtutibus imbutum & exornatum actum, tot enim sunt merita, quot virtutes intentæ. 2. Exercitationem actuum, & per actus

G. B. 1. c.
 1. 1. 1.
 oper.
 Tom: I
 N: V
 56

actus Habituum infusorum; quâ exercitatione fiet, ut non magno, immo compendioso labore, singulae particulae virtutes propriis actibus exerceantur, & facilitate illâ quâ alioqui ex se carent, & est habitus omnino necessarius, imbuantur, sicque homo, perfectas virtutes possideat, & perfectus ipse sit: qui est scopus totius laboris spiritualis, immo totius Evangelii & Scripturæ: nihil enim nobis præscribitur aliud, nisi, *Estote Perfecti, Esto Perfectus*; Perfectus autem ille est, qui omnes virtutes habet, non in habitu infuso tantum, (quia sic haberi omnes virtutes ab imperfectissimis Justis possunt,) sed in habitu actibus exercitato & completo: ita, ut per eos homo bene atque studiosè non possit tantum operari, sed etiam faciliè possit; delectabiliter possit, conaturaliter quasi possit: male autem non nisi ægrè, non nisi difficulter possit. In eo statu virtutes esse, hoc demum est eas perfectas esse: in eo statu virtutes habere, & consequenter hoc demum est perfectum esse.

Dixerit aliquis apud Magistros Perfectionis, quatuor genera Intentionum assignari. Unum est cum aliquo opere intendimus executionem mandati Divini, seu mandatorum. Secundum, cum aliquo opere intendimus virtutem aliquam exercere non præceptam, supposita tamen obedientiâ mandatorum (hæc enim includi debet ubique) Tertium, cum aliquo opere intendimus plures virtutes in specie exercere. Quartum, cum purum, solum, nudum, Divinæ Voluntatis beneplacitum in actione intuemur, & aliud nihil quærimus. Ex qua doctrinâ apparet, documentum hac Industriâ traditum, pertinere

ad tertium harum Intentionum genus, consequenter esse imperfectius quarto genere, proinde minus facundum & meritorium.

Ad quod Respondeo. In hac Industriâ, & in dictis de illâ, mihi propositum non fuisse, assignare aut perfectissimum Intentionum genus, aut modum operandi maximè meritorium, & ad animam ditandam facundissimum: itaque nihil hac objectione derogari, his quæ dicta sunt à nobis. Quia tamen id hoc loco disputandum se obtulit, quod alioqui alibi etiam disputari debuisset; pauca de hac re addo.

40.

Ex quatuor Intentionum generibus. Primum esse omnino necessarium, sed imperfectissimum. 2. Perfectius priore, supponere tamen primum. 3. Perfectius utroque sed item supponere primum. 4. Perfectius omnibus & in se continere non tantum primum, sed & alia duo. Conformitas enim cum Dei Voluntate in omnibus, est omnis virtus, est omnis perfectio, est omnis charitas, est omnis cum Deo amicitia, est, absque verbo error, propemodum ipsa Sanctificans Gratia. quod eo sensu loquor, quo Theologi non postremæ notæ, charitatem à Gratiâ non discernunt vel vix discernunt. Itaque ejus Intentio, est omnium Virtutum intentio, ejus possessio, omnium est possessio; ejus perfectio, est omnium perfectio. In tantum enim quælibet virtus est Virtus, & in tantum cujuslibet Virtutis actus est Virtutis actus, immo in tantum est licitus actus, in quantum est Dei Voluntati conformis. Tolle conformitatem, actus virtutis non est virtutis sed vitii, nec virtus, est virtus, sed vitium. Hanc igitur intendere & tenere in actionibus no-

stris,

aris, est omnium virtutum perfectionem intendere & tenere.

Sed hîc advertenda sunt duo. Primum, Conformitatem cum Dei Voluntate, aliam esse inchoatam, aliam perfectam: (perfectam autem voco, pro gradu & statu hujus vitæ, nam alioqui conformitas perfecta simpliciter, non est hujus vitæ, neque hîc obtineri potest, sed tandem in Patriâ obtinebitur) imperfecta & inchoata Conformitas, habet aliquod discrimen suum in aliis virtutibus: & iis indiget, & intentio illius cum aliarum intentione stare potest.

Perfecta Conformitas, qualis esse hujus vitæ potest, etiam suo modo taliter se habet cum aliis virtutibus, ut Inchoata, plus tamen vel minus, pro sui majori aut minori perfectione: alioqui illa, naturâ suâ est quasi omnis virtus, atque omnium virtutum vicem supplet, est earum fructus, nucleus, & earum perfectionem ab iis labore longo quæsitam, illa ut suam habet, suam facit, Virtutes verò illi ut famulæ obsequentissimæ, Dominatrici, Heræ, obsequuntur. quò si Epicurus respicere potuisset, qui Virtutes Voluptatis ancillas, & ejus throno assistentes dixit, nihil extra propositum dixisset, nihil extra veritatem. In veritate namque, Conformitas & Unio cum Dei Voluntate, Voluptas est, & pax, & fruitio summi boni secunda, & pro statu hujus alteriusvè vitæ imperturbata. Cui virtutes omnes, & omnis singularum perfectio militat, ex earumque perfectione illa resultat; ut verissimè justissimeque suprâ dixerim, quòd hanc Conformitatem in actionibus intendere & tenere, sit omnium Virtutum perfectionem (non tantum

41.

tantum virtutes ipsas qualescunque) intendere ac tenere. Quia tamen hæc Conformitas quamlibet perfecta sit, tamen in hac vitâ imperfectionem semper habet, ideò etiam semper exercitio aliarum virtutum opus nos habemus, tum ut virtutes ipsas perficiamus, tum ut conformitati illi cum Voluntate divinâ, nos magis ac magis idoneos reddamus. Ex hac autem confurgit secundum, quod observandum esse dicebam, nempe suppositâ hac perfectâ imperfectione, vel imperfectâ perfectione Conformitatis cum DEI voluntate in nobis pro hoc vitæ statu dari posse.

42.

Quintum Genus intentionum (quod si non coincidit cum 4. perfectius erit illo) in eo situm, ut complectatur omnia quatuor supra dicta, addatque illis hanc complexionem, & quandam subordinationem: & trium primorum generum ad quartum, & quarti ad se ipsum; ita, ut fiat aliquod opus tum ex motivo implendi imperii præceptique divini, tum ex particularium aliarum virtutum non unius tantum, sed etiam plurium intuitu: qui uterque intuitus tam implendi præcepti, quàm exercendi alias virtutes, subordinetur conformitati nostræ Voluntatis cum divinâ, & fiant illi intuitus propterea, quia id Deo placet, Deusque vult; & rursus ista ipsa subordinatio ad Dei Voluntatem, fiat propter eandem ipsam Dei Voluntatem, ut sic faciamus Dei Voluntatem ad Dei Voluntatem, prout alicubi loquitur S. Bernardus, atque Deo secundum Deum vivere, servire, & placere valeamus, prout alicubi orat Ecclesia. Ex quo sequetur, nihil omnino defuturum isti intentioni quibus

generis

generis, ad plenam, quæ in hac vitâ cogitari, & actionibus nostris à nobis attribui potest, perfectionem ac sublimitatem.

Volueram hujus Industriæ explicationem paucioribus, quàm priores prosequi, sed præter spem, longiùs etiam quam præcedentes, processit oratio. Puto tamen nihil præter propositum ac nihil absque utilitate dictum esse hæcenus. Superest ut Industriæ hujus paradigma aliquod praximque proponamus.

Dignissime Deus, volo ab hoc tempore deinceps omnia facere eo motivo, eoque modo, quo tu vis, & quia tu vis illa fieri à te & à me propter omnium mandatorum, consiliorum & beneplacitorum tuorum impletionem, propter virtutum omnium Theologicarum & Moralium, supernaturalium, donorumque & fructuum Spiritus Sancti in omni congruo mihi gradu assécutionem, exercitationem, incrementum, propter Gratia Gloriamque tuæ in me confirmationem, propter Instituti mei perfectam impletionem, propter totius mundi auxilium, propter omnium Sanctorum, omnium Angelorum, Preiosissimæ Parentis, JESU Christi, Tuum verò Sanctissima Trinitas DEUS, imprimis honorem & imitationem; super omnia verò, propter omnimodam Tui gustus recreationem, Adorandæ Voluntatis executionem, Summæ Bonitatis dilectionem, eminentissimæ Dignitatis exaltationem, mei denique universalem annihilationem, quia hæc est Voluntas dignitatis Tuæ, & dignitas Voluntatis Tuæ. Amen.

In hoc paradiamate: observa Primò. Illud omni Actioni etiam totius vitæ accommodatum esse: posse tamen facillè actioni particulari accommodari. Factum verò id ideo, ut unum omnibus

43.

44.

bus servire possit & laborare necesse non sit in novis excogitandis. Præterea, ut si semel vel iterum tertiove in diem fiat, aliis vicibus, non sit etiam praxim opus repetere ad opera singula, sed tantum ad hæc semel iterumve recitata, mens se possit revocare, & ea etiam in præsentia rata habere. Quomodo à Patre nostro Jacobo Layneslegimus solitam fuisse quotidie Renovationem votorum, in Sanctissimo Sacrificio, tribus verbis perfici: Placet quod promisi. Sic enim & nos dicere per respectum ad paradigma positum possumus, Placet quod intendi, vel: quæ intendi, rata habeo.

45.

Observa 2. omnes hoc paradigmate Virtutes, sed genericè tantum non in specie, ne longum esset, facile erit cuivis, earum nomina interserere, quarum præcipuè motiva & actus cupiet exercitos: sicut etiam facile erit, eosdem actus, vel affectus exercere saltem mente.

Observa 3. In hoc paradigmate perstringi omne genus Voluntatis Divinæ, & præcipientis, & suadentis, & simpliciter arbitrariè volentis, hoc est Voluntatis Signi & Beneplaciti.

Observa 4. Inferi etiam huic paradigmati quædam eorum, quæ Industriâ præcedenti sunt commendata, ut advertas utramque hanc Industriam, immò & plures alias, conjungi posse ad unam actionem perficiendam, dummodo longitudo, fastidium, fatigatio vitetur; quod prudentiæ ac discretionis erit, quam semper præ oculis haberi cupio ab his, qui hæc servare volent; sicut etiam obedientiam, consilium Patrum ducuntque Spiritualium suorum, Caritatem, Necessitatem: Hæc enim oportet & incumbit servare ac

facere;

facere; illa autem, si poterunt non omitti, non omittere.

Fructus hujus Industriæ quis sit futurus utenti, jam satis ex dictis patuit: morari me & repetere nihil est opus.

INDUSTRIA VI.

Uſus Potentiarum tam animæ quam Corporis, quibus plurimis uti ſolemus in aliquâ unâ actione vel occupatione, DEO explicite offerendus.

46.

Non absque profundo Providentiæ suæ consilio Deus nos homines condidit compositos ex Animâ & Corpore: iterumque animas nostras multis potentiis, corpora multis partibus & membris, animæque ad operandum multiplicibus instrumentis, non absque providâ mentis suæ ratione constare voluit. Fecit hoc inter alias causas etiam ob istam, ut ex hac multitudine partium, organorum, potentiarum, actuum, confurgeret in nobis multiplex etiam & mirabilis laudum divinarum harmonia, multiplex simplicissimæ illius ac æternæ ejus naturæ potentiaque operatricis, ac primæ causæ, nec non aliarum perfectionum ejus representatio, multiplex merendi ratio, multiplex Virtutum exercitatio. Cui enim dubium, quia hæc omnia prædicta ex hac multiplicitate potentiarum atque consequenter actuum confurgant? Et quamvis hoc apud multos sit extra considerationem & advertentiam; quamvis apud plures etiam sit extra usum debitum & honestum; non ideò

ided tamen evacuari potest, aut par est, Providentia consilium. Quin immo, si quis hactenus id aut non advertit, aut neglexit in seipso, inque suis quotidianis actibus; recta ratio dicat, multoque magis Negotiationis Spiritualis vigilantia exigit, ut hæc bona Domini, quæ quotidie tam multipliciter usurpamus, sive otiosè, sive tantum naturali impetu ac instinctu, sive etiam honestate; usurpemus ex rectâ ratione, ex devotâ mentis intentione, ex supernaturalis finis applicatione & adjunctione, sicque ex Domini bonis & talentis, esto nobis minutis, ingentes tamen usuras & fructus Domino colligamus, & in tempore rationis reddendæ eidem representemus, cum ejus insigni Voluptate, cum nostrâ verò illâ beneficâ commendatione: *Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini Tui. Matt. 25. v. 21.*

47.

Libet rem hanc Exemplis declarare: fortitan enim & illustrior erit ad cognoscendum, & efficacior ad persuadendum. Solvit aliquis pensum Horarum Canonicarum Deo, is, non dubito, ante illud opus, offert illud divinæ Majestati, sive intentione communi Ecclesiæ, sive etiam particulari quapiam suâ, & id quidem rectè satis: Si tamen aliud amplius facit nihil, non possum aliud dicere, quàm quòd multis se privet commodis lucrisque spiritualibus, quod ex eo patebit. Oratio illa, est unica actio orandi in se se, quam, ut dixi, offert Deo, qui facit illam. Huic tamen actioni, annexæ vel sunt, vel esse possunt, plures actiones plurium potentiarum tam corporis quàm animi, quæ ad Oratio-

nem illa
partim
do, fit
vel flec
moria
gitis: l
aspiratu
excipitu
pronun
dicit, p
genuur
varietas
gnatur
oculi et
ctus vo
sunt, v
quæ rec
vita, ex
fionis &
intermi
que p
omnia lo
motu e
teriz m
tio: de
est, pe
quoqu
superna
intuper
casiona
possiu
Hæc
à tot p
est Ora
V.P.

nem illam, ut sic loquar, partim cooperantur, partim concomitantur. Fit illa ex libro, legendo, fit inambulando, vel sedendo, vel stando, vel flectendo; fit etiam audiendo; fit ex memoria: tenetur liber manu, versantur chartæ digitis: leguntur oculis sententiæ, verba, literæ; aspiratur & respiratur inter dicendum: auribus excipitur tam propria quàm aliena recitatio & pronunciatio: Intellectus sensum eorum quæ dicit, percipit: manuum, brachiorum, pedum, genuum, aliarumque partium usus intervenit: varietas situum corporis admiscetur, pectus signatur, tunditur, elevatur, inclinatur caput: oculi etiam piè sublevantur vel dejiciuntur, affectus voluntatis, vel ex mysterio de quo preces sunt, vel ex sensu verborum sententiarumque quæ recitantur, in Deum, Christum, Sanctos, in vitia, errores, malitias, infinitâ varietatē, intentionis & attentionis, devotionis & fervoris sese intermiscunt. Imaginativæ etiam, æstimativæque plurimi actus interseruntur, lingua & omnia loquendi organa, in tam multiplici usu & motu est; fauces, labia, dentes, gutturis & arteriæ meatus, vox ipsa sonans, oratio in silentio: denique totius corporis & animæ actio adest, per omnes sui potentias & partes: habitus quoque plurimi interni & externi, naturales & supernaturales in actu & opere sunt. Adveniunt insuper multi multarum potentiarum actus, occasionaliter intercidentes, & qui prævideri non possunt particulatim, tantum in genere.

Hæc tanta varietas ac multitudo actionum à tot potentiis, tot modis proficiscentium, non est Oratio: est tamen Orationis Actioni con-

V.P. Druzb. Op. IV.

D

hexa

nexa ordinariæ: quæro, quotus quisque Sacerdotum eam Deo unâ cum sua Oratione consecrat? quæro quid obstet, quominus consecret? quæro, si consecret, nullone an verò ingenti cum animæ lucro id facturus sit? quæro, si id negligat, nullone an verò ingenti cum damno animæ meritorumque detrimento facturus sit? quæro denique, an pio & diligenti negotiatori conveniat tantam segetem bonorum non negligere, tantam meritorum sementem quotidie demerere, ex tot actionibus, ex tot potentiarum suarum, atque adeo sui totius usu tanto in uno opere, quem alioqui semper facit & facturus est, sine ullo fructu suo nullo autem additamento laboris novi, præterquam brevissimæ Intentionis seu applicationis ad finem supernaturalem, ad eum v. g. ipsum, ad quem applicavit totam Orationem? Ex hoc fundamento nonnulli pii viri Horas Canonicas etsi memoriter (immo & alias Orationes) recitare possint; tamen legunt: ut hac ratione plurimum potentiarum & sensuum ipsi Deum laudent; & tamen memoriæ sit usus atque locus suus, in illâ ipsâ Oratione.

49.

Hæc quæ in uno Orationis Canonicæ à Sacerdotibus fieri quotidie, bene longo tempore solito opere ostendi; ostendere possum in aliis omnibus actionibus nostris, v. g. in Sacro, in Concione, in docendo, in discendo, in confitentibus operam dando, in Triclinio ad mensam cibum sumendo, vel cibum sumentibus ministrando, legendo, in omni aliâ quacunque actione & occupatione peragendâ mentem & corpus distinendo, in omnibus enim totus homo semper aliquid agat, vel hac vel illâ potentia

quæ sui parte. Et ut nihil aliquâ sui parte agat aliud, nisi quod præsens est etiam per illam partem actioni, quâ Deum laudat, id ipsum laudabile est, & si Deo offeratur, eidem acceptabile, hominique non inutile. Quantis ergo cumulis meritorum ditior homo quotidie fieret, si talium observator esse vellet?

Neque hæc observatio laboriosa esse potest, diligentibus ac prudentibus. nam v. g. quantus labor est, ut lector ad mensam, offerat Deo actionem suam illam legendi, & offerat omnes actiones aliarum potentiarum, quæcunque aliquem sui usum inter legendum homini præstabunt? offerat etiam omnium verborum ac literarum pronuntiationem, offerat omnem oculorum motum, omnem aspirationem, omnem cessationem, &c. Quod totum offerendi munus potest vel uno verbo perfici: quin vix etiam verbo opus; solus mentis in hanc oblationem conjectus seu Voluntatis consensus sufficit. Non est opus, quod in hac re morer: concludo appositione paradigmatis, sive praxeos, in eodem quod superius tractavi recitationis Divini Officii exemplo, quod quivis poterit ad suum palatum accommodare, fusiùs, brevius, expressius, &c.

50.

**Praxis offerendi recitationem
Horarum Canoniarum.**

DEUS, *cujus immensam Majestatem adorat omnis Ecclesia Sanctorum; Offero tibi has Ecclesie Tue Sanctæ preces, à me indigno die hodiernâ recitandas. Offero inprimis omnes à Matutino usque ad Completorium Horas. Offero omnes earum affe-*

51.

D 2

ctus

tus & sensus à Spiritu sancto & ab Ecclesiâ Sponsa
 tuâ intentos atque hic depositos. Offero omnia ea-
 rum puncta, comata, sententias, verba, literas, offero
 omnes motus lingue meae, & manuum mearum;
 omnes ictus oculorum, omnes respiraciones, omnes
 cogitationes & affectiones animae meae, omnes mei
 totius commotiones in hac presenti Oratione inter-
 cursuras. Accepta ergo hoc tributum servitutis
 meae, Tu, qui es Dominus meus, Rex meus, Deus
 meus, solus, unus, naturalis: meque mancipium tuum
 naturale & Voluntarium, Spiritu tuo Sancto, & gra-
 tiâ efficaci, atque abundanti purifica, confirma, san-
 ctifica, ut tibi servitium meum in sanctitate & justiti-
 â, & perseverantiâ semper exhibere valeam: qui
 in Trinitate perfectâ vivis & regnas unus Deus in sa-
 cula benedictus, Amen.

Domine Deus, offero tibi totâiter hanc (omnem)
 actionem meam, cum omnibus aliis, quas hujus occa-
 sione per quamcunque Corporis & Anima meae po-
 tentiam exercebo, quia hæc est Voluntas Tua, & di-
 gnitas Voluntatis Tuae.

Extat hujus Industriae praxis & exemplum
 in Davide Psal. 103. ubi in hunc modum, Deum
 laudat; *Benedic Anima mea Domino, & omnia
 quae intra me sunt, nomini sancto ejus: Benedic cor
 meum Domino, & noli oblivisci omnes retributio-
 nes ejus.* & alibi idem sic ait: *Omnia ossa
 mea dicent, Domine quis similis
 Tibi &c.*

INDUSTRIA VII.

Actiones nostræ etiam aliorum actionibus in Deum per nos relatis sunt fecundandæ; & ex omnibus Creaturis, DEI laus desumenda.

PRæcedenti Industriæ vicina est ea, quæ jam sequitur, ideoque etiam illi subjungitur. Non tantum enim ille usus variarum potentiarum nostrarum, intercurrentes in alicujus occupationis nostræ à nobis executione offerri potest Deo, meritorumque cumulus nobis parari per hanc oblationem; Sed etiam eadem ipsâ oblatione, possunt offerri Deo in laudem & in nostrum meritum, aliorum actiones omnes, quibus illi nobis ad nostrarum actionum executionem cooperantur quocumque modo. Id quod fieri potest, non ideo tantum, quia illæ actiones, cum sint proximorum nostrorum, possint à nobis per Caritatem supernaturalem nostræ fieri, ut vulgò docetur à Spiritualibus Magistris, sed etiam peculiariter ideo, quia tales actiones, quæ nobis in nostris auxilio aliquo sunt, fiunt quodammodo nostræ & nobis inserviunt, utque inservirent, à divinâ Voluntate provisæ ac ordinatæ sunt, ut proinde merito illas tanquam nostras Deo offerre, & pro eis Dei Providentiæ gratias agere; Deumque, pro eis, ac in eis, laudare debeamus. Sic factitatum legimus à Patre nostro Petro Fabro, qui si quando ingrediebatur templum aliquod augustius, & apparatu Ecclesiastico instructum; illico eam sibi materiam laudum divinarum assumebat; laudabat Deum pro iis, qui Templum suis extruxissent sumptibus,

D 3

qui

52.

Bern.
Plautus.
Alvarez

qui manu, qui arte; qui illud etiamnum curarent, qui ornassent & ornarent, qui instruxissent apparatus ac thesauris, sive auri, sive argenti, sive serici, sive alio quovis modo. qui cantores providissent, qui cantarent, & cantu alios ad Dei laudem provocarent, qui Templum ornassent, & vestissent parietes, sive sumptu, sive jussu, sive manu; qui apparatus Sacrum elaborassent, Sanctorum imaginibus Reliquiisque dotassent &c.

53.

Ex quo apparet, quàm uberem Vir Sanctus, quamque facilem & obviam ubique, Deum laudandi, animamque suam Pietatis studiis saginandi, Materiam haberet, depromendo illam ex alienis operibus & actionibus. Quod factitari potest, non solum in hominum, sed etiam in bestiarum, & non sensilium rerum actionibus, aut potius deservitionibus. Sic David Cœlorum motum, dierum & noctium vicissitudinem, mirabilia Dei opera in aquis, & mari, & in omnibus abyssis, materiam laudum divinarum sibi assumebat. Sic tres illi pueri in fornace Babylonicâ fecere, in omnibus penè creaturis. Sic B. noster Borgia Obsequentiam canum & avium venaticarum, faciebat Dei laudandi materiam.

54.

Sic nos quotidie possumus (immo perpetuo) tali Industrâ uti, modò ne pigrescamus. Cur non possumus audientes vel Lektionem in Scholâ, vel concionem in Templo, laudare Deum pro his à quibus docemur? offerre illorum omnes actiones, laboresque omnium potentiarum ipsorum, quibus laborant in nobis docendis, in parandis lectionibus concionibusque, in dicendis & tradendis? Cur non possumus laudare Deum pro Auto-

ribus,
compa
sumun
Curn
rum su
gubern
que pro
ca se D
nerant
tot illis
gnoru
socior
object
alios se
re?
Pe
di Ind
buit, u
ret, ill
Urbiu
des &
pro cu
regi pe
dustri
diri, Ig
N
to, hâ
mend
P
perea
quam
S
ctio

ribus, scriptoribus, impressoribus, emptoribus, compactoribus, custodibus librorum, è quibus illi sumunt, & paratiores ad docendos nos accedunt? Cur non possunt subditi, pro omnibus Superiorum suorum curis, laboribus, molestiis, quas in gubernatione devorant, Deum laudare, eorumque propter se molestias, & actiones omnes circa se Deo offerre? pro iis gratias agere? Cur itinerantes non possumus agere gratias Deo, pro tot illis operis & laboribus equorum, rotarum, lignorum, ferramentorum, coriorum, aurigarum, sociorum, fabricorum? Cur non possumus omnia objecta, quæ se itinerantibus in oculos, in aures, in alios sensus ingerunt, materiam Dei laudum facere?

Petrus Faber jam allatus, inter alias itinerandi Industrias pietatis plenissimas, hanc etiam habuit, ut ubicunque iter faceret, illuc Deum laudaret, illuc Angelos & Sanctos locorum, Regionum, Urbium, Templorum, altarium, hominum, custodes & patronos veneraretur, invocaret, oraret, pro curâ circa incolas gratias ageret, se item protegi peteret &c. Hæ sunt Sanctorum Virorum Industriæ, hæ praxes, quibus incitiam nostram erudiri, Ignaviam confundi, & excitari par esset.

Nec plura hac de re addo: illud tantum repeto, hæc Industriâ tres à me res atque praxes commendari unâ operâ.

Prima est, ut alienas actiones, etiam à quibus percas juvamus in aliquo nostro opere, Deo tanquam nostras offeramus.

Secunda est, ut etiam ex omnis Creaturæ actione, & ex omni creaturâ, quæ se se ingerit no-

stris sensibus actionibusque, Deum laudandi materiam sumamus.

Tertia, ut in actionibus nostris sive passionibus, condiscamus consuescamusque multiplicari circumstantias (vel quod idem est, reflectere nos, animumque advertere ad actionum & objectorum, circa quæ operamur, circumstantias) sive actionum & objectorum nostrorum, vel in genere, & confusè ac simultaneè omnes acceptando, Deo que offerendo, & materiam virtutis ac meriti in intentione faciendo, vel etiam quando vacat, distinctè eas dum adsunt, acceptando & offerendo, dum non adsunt, ultrò advocando & augendo, materiamque, ut dixi, divinæ Laudis, virtutum ac meritorum faciendo. Nulli enim dubium est, quòd plurimæ nos creaturæ, & creaturarum conditiones circumstantiæque circumstant semper, dum aliquid agimus patimurque (semper autem aliquid agimus patimurque) quarum præsentiam nos, ut dixi, etiam augere possumus, si volumus, quarum præsentiam nos materiam virtutis, meriti, laudisque divinæ, nullo sumptu ac labore nostro, præter modicum advertentiæ intuitum, voluntatisque intentum, possumus.

56.

Quod genus Exercitii, incredibilis est plenissimum pietatis; sed requirit animum ordinatum in se & passionibus suis, ordinatum etiam foris, in actibus & occupationibus & temporibus suis. Quæ de re supra Industriam primam satis præscripta sunt. Requirit etiam animum ubique Deo assuetum, vel certè Deum quærere & invenire concesso factum. Quo in genere Nostræ Societatis omnes homines excellere, Sanctus Pater Ignatius desiderabat, immò & in quadam Regulâ id præscriptum

scripsit omnibus, ut in omnibus quærant Deum, quod est aliud nihil, quàm ex omnibus rebus Dei laudandi, amandi, prædicandi, æstimando materiam sumere, & animum coelestibus meditationibus tanquam alimentis ubique & omni occasione saginare.

Et revera id Naturæ rationali debet esse perquam convenientissimum. Omnes namque res ita sunt comparatæ, ut unaquæque juxta supremum naturæ suæ gradum operari perpetuò appetat, omnemque occasionem ejusmodi operationis avidissimè rapiat. Videmus arbores & frutices, ubiubi sunt, vegetari cupere, crescere, assurgere, virere, folia, flores, fructus mittere, humorem & succum trahere: quòd si alicubi sunt, ubi talia operari nequeant, arescere, putrescere, perire. Videmus bestias quadrupedes, volatiles, aquaticas, reptiles, omnes universim id ubique agere, id ubique indagare, ut pascantur, ut alantur, ut saginentur, ut delectentur: id ubique bestia agit sine delectu, respectu, pudore, verecundiâ, cessatione. Nimirum hoc est ejus opus præcipuum; ad hoc agendum, ad sic operandum sensualis facta est. hoc si operatur, beata est, si operari non potest, elanguescit & interit.

Quid ergo est tandem, quòd homo, rationalis natura, non ubique rationalia quærit, agit, meditatur, contemplatur? tota est in sensibus ac sensibilibus; ad rationalia, ad honesta, ad sublimata à sensibus, elevare sese nec potest, nec sinit? Quid, inquam, est hoc? Monstrum id sane necesse est aut interitui vicinum si non interitus ipse. Nam sicut arbor, si posita in humido loco, virorem & succum non trahit, aruisse & inanimata dicitur,

dicatur, securique tantum idonea & igni; Sicut Jumentum si pascua habens & pabula copiosa, non sumere nolit satiari, nolit saginari, interiturum dicitur: cur homo rationalis, si rationale nihil meditatur, nihil concipiat, nihil sectetur, inter tot beneficia Rationis, Veritatis, Honestatis objecta positus, cur inquam non dicatur moriturus, aut potius interitum se, & in bestiam degenerasse? Et quid dicam de Naturâ (ut sic loquar) supernaturali, de Viro inquam, Religioso, de viro spirituali, si is, nihil sublime, nihil supernaturale, nihil defæcatum à sensu & natura sapiat, nihil quærat, nihil cogitet, nihil loquatur: Sed tantum naturalibus regatur nitaturque principiis, tantum sensualia, naturalia commoda attendat, politicis tantum rationibus & honestatibus nitatur, nihil Christianum, nihil ex Christi Scholâ, nihil ex Crucifixi, pauperis, contempti, stulti, dolentis, & abjecti Christi doctrinâ in suis moribus, consiliis, operibus, intentionibus præferat, in suis actionibus & occupationibus præferat ac præfigat; Spiritualem hunc & Religiosum & supernaturalem dicemus; an verò potius à Spirituali in carnalem, à Religioso in sæcularem, à supernaturali in naturalem, à Hierarchico in Politicum statum & gradum degeneravisse?

59.

Ex quo discursu non admodum quidem sublimi, & arguto, illud tamen evincitur, Religiosum, spirituales, & perfectionis professorem, hominem debere esse sublimem in studiis suis, debere cogitationes fovere sublimes, debere non degenerare ab excelsis cogitationibus filiorum Dei, debere, quæ sursum sunt, quærere & sapere, debere in omnibus Deum quærere, in omnibus Deum invenire, agnoscere, adorare, laudare, ama-

re: alioquin non ille homo spiritualis, sed aut poli-
ticus & ethnicus, aut bestia & jumentum, equus
& mulus sit futurus. nam nisi talis erit, qualem de-
bere esse dixi; quid habebit super equum & mu-
lum? super Ethnicum? nonne & Ethnici hoc fa-
ciunt, quod ille facit, juxta Christi argumenta-
tionem in simili ferme materiâ.

Hæc dixi eâ occasione, quod amator Perfe-
ctionis, omnem Creaturam debeat facere sibi
Dei laudandi materiam; & nullam, sive suam, si-
ve alienam actionem, non in Dei laudem suam-
que meritum convertere.

INDUSTRIA VII.

*Actiones nostræ facundandæ per Augmentum
Intensionis & Fervoris Rationalis, idque pro-
portione Arithmetica.*

Vix est ulla res, quæ valorem operum nostro-
rum, impetrandi efficaciam, satisfaciendi
virtutem ita enervat, quomodo Tepiditas & So-
cordia actionum sive operum. Quantumcunque
enim opus sit, ex naturâ & objecto seu specie suâ
nobile & eximium; quantumcunque defecatum
& sublime; nisi sit fervore incensum, sit verò te-
piditate infectum, nequaquam beneplacito Divino
ad mentem complacere potest. Et causa in prom-
ptu est, quia cum Deus sit actus purus, ejusmo-
di etiam actiones creaturarum suarum (præser-
tim eas, quæ sunt ad suum obsequium directæ,)
desiderat ut sint quàm simillimæ puro actui, actus
verò puri proprium est, carere omni non solum
admissione extranei: non solum defectuositate
potentiæ, sed etiam remissione languoris sive a-
ctivi-

60.

cul. Atque ecce in propatulo est modus, pro mille laboribus laborandi unicum laborem. Faciamus, subeamus unum intensum & ferventem laborem; & ille pro mille remissis laboribus apud Deum reputabitur. Id quod vel maximè faciendum nobis ex hoc capite est, quia remissi actus non rarò, quinimmo frequenter ac ferè ordinariè, majore molestiâ, labore, nausèâ, fatigationeque tam animi quàm corporis, jacturâque etiam temporis à nobis fieri debent, quàm intensi. Et causa est in promptu, quia actus remissi, ordinariè ideo remissi sunt, quia fiunt ex tepidâ & per acediam gravatâ, consequenterque repugnante voluntate: quæ autem repugnante voluntate fiunt, ea & remissè & cum molestiâ tædioque fiunt. Atque ita omnia ista habent incommoda remissi & segnes labores, quæ habent intensi ac ferventes: & insuper illud molestiæ habent, quòd Conscientiam, pigritiæ conscientiam, angunt, cùm interea eandem, intensi ex cognitione & testimonio ferventis operationis exhilarent, & spe recreent, laborisque molestias minùs sentire faciant: quinimmo alacriorem ad ulteriores atque etiam majores labores perferendos reddant, ita, ut sibi ferventes operarii non laborare, sed recreari, respirare non fatigari videantur. Perinde ut Mercatores magnis lucris partis, accendi solent ad conquisitionem majorum lucrorum; quæres in vitâ spirituali majoris est momenti, quàm dici possit: rarior est quàm, ut in vulgo & plebe spiritualium hominum frequenter deprehendi soleat: verior denique est, quàm ut de ea addubitari fas ullo modo sit. Quæ quidem nos, si veri negotiatores Thesaurorum
Spiri-

Spiritualium sumus, maximopere nos ad ferventer & intense operandum animare atque excitare debent.

63.

Ceterum in eare dubium illud esse potest: quid sit hæc intensio operandi atque laborandi, quam ita & commendamus, & in Sacris literis, Sanctisque Patribus commendari non ignoramus? Pro quâ re sciendum; nomine intensio- nis intelligi alacritatem & vigilantiam accurat- ionemque & applicationem mentis in operan- do: quæ si est in operatione, dicitur fervor: si verò non tantum est, sed etiam crescit & auge- tur mentis conatu, semetipsam urgente & sti- mulante, dicitur intensio seu intensus fervor; Atque ita, quando operamur aliquid applicate, serio, alacriter, diligenter, instanter; dicimur tunc operari ferventer: quando verò operamur ita aliquid, ut applicatio & alacritas, & diligen- tia operandi inter operandum in nobis crescat, dicimur operari intense, & fervor operationis dicitur intendi: Quanquam hæc frequentissime apud nos in sermone confunduntur, ita, ut pro eodem sit, ferventer, & intense operari: licet revera fervor, sit calor quidam mentis atque præstatio, intensio verò, sit fervoris seu calo- ris atque præservationis illius incrementum & progressus; ad eum plane modum, quomodo igneus calor, cum est injustâ aliquâ quantitate, dicitur fervor caloris, seu fervens calor, ratione cujus dicitur aqua fervere dum eo calet: hujus verò quantitatis augmentum dicitur intensio ca- loris. Sunt autem circa hæc, advertenda aliqua, ut melius vis & scopus Industriæ istius intelliga- tur,

9. 31. 11
 61. 11. 11
 11. 11. 11
 11. 11. 11
 11. 11. 11
 11. 11. 11
 11. 11. 11

tur, m
 modu
 Ho
 rem sp
 mine
 intensi
 intensi
 dum se
 dam in
 sentit
 calefc
 que or
 idemo
 bus, i
 cresca
 cautis
 pere,
 gare,
 O
 sicut c
 te adv
 occasi
 ut plu
 quo n
 præce
 tur,
 quanti
 qui p
 fit, h
 ves la
 calida
 memi
 rem,
 nem

tur, meliusque etiam ac alacrius in praxim postmodum deducantur.

Horum primum est; Intensionem ac fervorem spirituales in operando, vel potius in homine operante, duplicem esse posse. Una est intensio sensibilis, altera rationalis. Sensibilis intensio illa dicitur, quando homo inter operandum sentit, sensu corporeo sensibili æstum quandam in se, in suo corde, pectore, capite, &c. sentit, inquam sensibilibiter, ex eoque sensu incallescit cor, intenditur pectus, & ejus venæ atque ossa, capacitasque, intumescit, distenditur, idemque sentitur etiam in capite, in temporibus, in faucibus, in vertice: qualis sensus si excrescat & non cohibeatur, potest & solet in incautis valetudinem lædere, venam pectoris rumpere, ossium compagem labefactare, caput fatigare, atque officere organis.

Ob quam causam, hæc intensio corporalis, sicut dum est moderata admitti potest, cum sponte advenit, vel etiam excitari potest, cum ejus occasio est (advenit autem, vel occasio ejus est ut plurimum intensio & fervor rationalis, de quo mox dicetur: licet eum aliquando etiam præcedat, aliquando simul sit, aliquando sequatur, aliquando post illum remaneat, nonnunquam etiam, inmo non rarò præcipuè in eis, qui potentes affectus habent, sine illo veniat & fit, habetque adnexas dulcedines sensibiles, suaves lacrymas per ora & genas, vel per fauces, calida etiam & impetuosa suspiria ac longa, membrorum etiam quendam suavem languorem, atque dejectionem sensuum, suspensionem externorum &c.) moderanda tamen est,
nec

64.

65.

nec ei habentæ laxandæ, ne prout dixi, valetudini noceat. Deinde non est illi insistendum, nec in eo ambitiosè conquiescendum, quia non in eo est præstantia laborum, operumque ac meritorum: & potest talis sensibilis intensio (quæ etiam vulgo devotio ac dulcedo sensibilis dici solet) reperiri etiam in peccatoribus, in infidelibus, in semifobris &c. Proinde non hanc ipso loco sensibilem intensiorem in nostris operibus, neque hunc fervorem commendamus.

66.

Alia est intensio Rationalis, quam superius descripsi, quæ est in parte non Sensibili sed Rationali, scilicet in animo, in Intellectu, ac Voluntate, & est alacritas, vivacitas, vigilantia, diligens applicataque cura animi ad operandum aliquid, cum augmento ejus in eodem animo. Quod augmentum sicut & tota alacritas, & est in intellectu atque voluntate, & provenit ab apprehensione æstimationeque operis, operationis, finis propter quem fit operatio, v. g. Dei Christi, Virtutis, Animæ, Beatitudinis, quæ apprehensio atque judicatio rationalis quanto est major, quanto ex majori lumine Spiritûs, ex convictione intellectûs, ex affectu Voluntatis, convictionem intellectûs sequente; tanto etiam est operatio diligentior, ferventior, applicatior, magis indefessa, magis succrescens & vires sumens, tanquam ignis, qui ex seipso vires sibi suppeditat tanto majores, quanto ipse major est. Hæc Intensio habet secum attentionem. Hæc intensio est omnium virtutum vita, operum nostrorum omnium pretium, meritorum seges, Gratia illicium & invitatio, cibus Dei, quo libenter vescitur, pinguedo medullarum animæ,

irrita

irritatio avaritiæ & gulositatis spiritualis, dilatatio animæ, fætus & lucrum negotiationis Dominicæ.

Hæc intensio est omni Spirituali viro unice noscenda, amanda, procuranda. Hæc intensio-
ne Vir Spirituales opera sua conire, impingua-
re, imprægnare debet. Hæc intensio differt ab
intensio-
ne qualitatatum Physicarum, quod illæ li-
mitatæ sint, & ultra octavum gradum ex Philo-
sophorum placito ascendere non possint; ista
autem limitem nullum habet, præter eum, quem
Gratia & hominis conatus posuerit.

Hæc Intensio in hoc differt ab illâ sensibili; quod illa etiam sit limitata, immo debeat limi-
tari à discretione, ne officiat valetudini, ista
verò non eget limite ullo, nec frangit vires cor-
poris, quia non per corpus fit sed per animum,
& potest fieri absque ullâ vehementiâ sensibili-
um partium, absque ullâ violentiâ nervorum vel
virium, absque ullâ organorum fatigatione, so-
lo duntaxat rationalis Voluntatis imperio, am-
plius & amplius sese ad appetiendum, & ex ap-
petitione operandum perurgentis, suaviter,
lente, quoad sensibiles motus, efficaciter tamen
& cum succrescentiâ, quoad Voluntatis conat-
um. Hæc Intensio, si accedat operationi no-
stræ, mirum est, quantum pretii ac valoris affe-
rat eidem, mirum est, quantum ad generandos
in nobis habitus virtutum, quantum ad facilita-
tem operandi bene, virtuosè, heroicèque in ani-
mo nostro conferat. Quapropter ab amatoribus
profectus sui spiritualis, hoc intensio-
nis genus, & cognoscendum, & æstimandum, & usurpan-
dum esset.

V. P. Druzb. Op. IV.

E

Expe-

67.

68.

69.

Expedit declarare id, tum exemplis, tum simul Regulis in hoc servandis. Si quis igitur faciat actum Caritatis divinæ, & eum velit intentione condire; cum Caritas consistat in æstimatione Dei atque prælatione super omnia, is eliciet hanc æstimationem, atque prælationem Dei super omnia creata: elicitam continuabit aliquandiu: (prout ipsi placuerit) continuando autem illam appretiationem, æstimationem, prælationem, majore & majore quodam mentis seu rationalis portione conamine, five semper continuè toto illo tempore quo durat actus, five interpolatis & discretis vicibus, eliciat; ita ut si v. g. actus ille Caritatis duret per viginti passus hominis, aut viginti instantia discreta temporis, aut per unum quadrantem horæ; actus sit quidem Caritatis, quoad substantiam & entitatem suam initio, v. g. in primo passu; sed in secundo fit intensior, in tertio intensior, & sic deinceps usque ad vigessimum passum vel instans, quadrantisve finem, & pars actus illius elicita in vigesimo passu atque instanti, viginti veluti gradibus superet primi instantis actum.

70.

Hoc verò totum potest fieri sine intentione sensibili, & partium corporis; sed solo Voluntatis rationalis imperio, conatu, intentione, adeo ut sufficiat, si voluntas sic ipsa sibi imperet. Volo viginti passus facere ex Caritate Dei & ad singulos passus elicere Caritatis actum (vel per omnes passus dum ii durant, volo continuare actum Caritatis, ita ut singulis passibus major Caritatis actus portio & intensior respondeat,) alium atque alium, alium alio ferventiolem & intensiolem; atque omnino talem ut quolibet actu cui-

vis passui respondente, magis appetiem & superexaltem Deum. Tum si ita re ipsâ Voluntas vel homo faciat, solâ mente veletiam voce mentalem actum exprimendo; dico, quod actus ille Caritatis in ultimo passu, erit se ipso major vigesies, & apud Deum meriti majoris, & in mente nostrâ erit æstimatio Dei major in vigesimâ particulâ, quàm fuit in primâ.

Et manifesta est ratio, quia totum hoc pendet à nostrâ Voluntatis intentione seu determinatione. Sicut ergo quando Voluntas in primâ parte, passu, instanti, intendit Deum amare, amat illum, & quando illum intendit tantum amare, tantum illum amat; sic etiam quando in secundâ parte intendit illum plus amare, quàm amavit in primâ, plus amat re ipsâ, & quando plus intendit amare in tertiâ quàm in secundâ (& etiam primâ,) tum revera plus amat; & sic deinceps, quando intendit illum plus amare in vigesimâ parte atque passu, quàm amavit in decimo nono (vel in omnibus præcedentibus decimum nonum) de facto & re ipsâ plus amat.

Quod luculentius apparet in actu opposito peccati divini. Nam si quis intendat Deum blasphemare & contemnere per viginti passus aut instantia, (vide Indust. 22. infra) & ita intendit, ut in quovis instanti velit intendatque majorem Dei contemptum in se esse & à se elici: nonne is per illos viginti passus eliciendo actum contemptus divini, (vel actus, certè plures hoc est viginti) magis censebitur etiam apud suam conscientiam contempnisse Deum in secundo quàm in primo, magis in tertio quàm in secundo, magis in vi-

ter 40. etiam partes in suâ flexione, seu in suâ molestiâ quam habet in flectendo, & unamquamque partem molestiâ illius, offerre Deo in testimonium Caritatis, perpetique illam ex Caritate Dei; & quidem ita, ut quælibet pars succedens, sit ex majori Caritate in Deum profecta, & majoris Caritatis in Deum affectus. Si ita fiat ab aliquo; quadragesima pars molestiâ illius, erit ex majori, & imperabitur à majori Caritate; à majori, inquam, quadragies, quàm imperata fuit prima pars, & nunquid sine ingenti meritum incremento? Similiter facere possunt ii, qui deambulatum animi causâ prodeunt, & passus suos vel ex Caritatis, vel ex Obedientiâ affectu majore ac majore, sigillatim offerre. Tum quotus numero erit ultimus passus sic oblatus, tanto numero & gradu intensiōnis Obedientiâ actus & affectus (vel Caritatis) superabit suos actus præcedentes.

Id ipsum facere possumus, cum singulis salutationibus Angelicis in coronâ vel Rosario, cum singulis Psalmis, versiculis, verbis, literis, in Horis Canonicis, cum singulis item actibus animæ & corporis, verbisque ac literis in Missæ Sacrificio, cum singulis literis vel vocalis, vel lineis, quas scribimus in lectione vel dictamus in lectione, vel legimus in lectione, vel proferimus in exhortatione, vel concione. Id ipsum fieri potest cum singulis ictibus disciplinæ, vel cum singulis aculeis cilicii sive catenæ.

Denique id ipsum possumus facere cum omnibus motibus nostris ab hoc vitæ nostræ præsentis instanti, usque ad finem vitæ; motibus,

bus, inquam, nostris, five animæ, five corporis, itemque passionibus. Totum hoc enim pendet ab arbitrio, designatione, intentioneque, & respectu Voluntatis nostræ, quæ in hoc genere, plenissimo est jure Domina sui, & quanto est in hoc occulatio, tanto etiam ditior.

74.

Ex quo patet quanti sint meritorum thesauri, inter manus nostras, quos quotidie infinitos amittimus. Patet, quanti thesauri lateant, in intentione Voluntatis nostræ, cujus tamen cura est nobis propè postrema. Patet quanta sint lucra Intensionis istius, de qua loquimur hâc Industria. Patet quanta sit nostra, in negotiatione Spirituali, vel incitia, vel ignavia, qui tantam farraginem messis que vel ignoramus atque non advertimus, vel advertentes negligimus ac dissimulamus, & præ pigritia, tantillum conatum adhibere nolumus, ut tanta animæ lucra conquiramus, tantoque singulis non dico diebus, sed momentis vitæ nostræ, intervallo, gratiores Deo efficamur, & Deum vicissim nobis, gratiorem, digniorem, pretiosorem efficiamus.

75.

Quare consilium meum esset, Primò. Ut quisque Negotiator Spiritualis aliquo tempore in diem, vel saltem, hebdomadam, instituat hanc intentionem Voluntatis suæ, qua Deo offerat omnia instantia vitæ suæ, omnesque actus à se quocunque modo perficiendos in vita sua, & quocunque modo suos: offerat autem ita, ut protestetur se actus omnes illos intendere facere, majori & majori fervore intensioneque Caritatis, æstimationis, humilitatis, Obedientia,

G. B. R.
 G. B. R.
 OPER: III
 TOM: I
 N: V
 56

fiat, & cujuscunque tandem ipsi placuerit, Virtutis affectu.

2. Ut singulorum dierum actiones aliquas suas, eodem modo Divinæ Majestati offerat. Deligat autem actiones ejusmodi, quæ non planè minutulæ sint, sed quæ sint, ex genere à nobis suprà positarum.

3. Si quis consuetudinem habeat singulos in menses aliqua in virtute sese exercere, is poterit singulis quoque diebus aliquas, certas, tempore certo actiones suas, eodem modo DEO offerre ex motivo illius virtutis, ita ut quavis portio actionum illarum, sit perfecta ex majori & perfectiori gradu, affectu, motivoque Virtutis illius, v. g. Caritatis, resignationis, liberalitatis, gratitudinis, affectu, in Christum, in B. Virginem, in Sanctum aliquem &c.

4. Hujusmodi actus nec minutos, nec multos esse suaferim, ut minutiis & multitudine se ipsam mens non impediatur, fatigando se ipsam, festinando, vix quidquam boni bene faciendo, ut affolet evenire incautis in omni exercitio Spirituali. Non est igitur festinatè agendum sed cum moderatione, donec assuetudine res hæc complanetur, animusque huic labori assuefiat per partes, modò aliàs explicato.

5. Si quis velit hac Industriâ uti, habeat formulam aliquam istius oblationis brevem, compendiosam, & tamen multa, latitudine suâ complectentem. v. g. *Domine DEUS: offero Tibi hanc oblationem & omnes ejus partes (tot & tot &c.) intendendo facere majori & majori intensione amoris Tui, Obedientie, Humilitatis, Contemptus mei &c.*

6. Si quis hanc intensiorem rationalem adjuvare etiam voluerit intensiorem sensibili, poterit:

sed discretionem server, nec Valetudini vim faciat; alioqui praestat sensibilem omittere.

7. Potest haec Industria etiam magis practici hoc modo. Assume tibi Actum aliquem pium, v. g. hunc. *DEUS meus, amo te super omnia.* Eum actum mente vel etiam voce in singulis Rosari globulis, vel etiam absque illis, pro libitu repetita, ut unumquemque actum majori intendas conatu dicere, seu ex majori Caritate proficisci: hac ratione actus repetiti per singulos, majoris erunt Caritatis, immo major erunt singuli Caritas, consequenterque Deo gratiores, & animæ utiliores.

Quæ de hac Industriâ allata sunt, ad ejus credo commendationem, & cognoscendam praxim sufficient. Servient etiam Industriæ sequenti, quæ ejusdem fermè erit rationis cum hac, ac tantum in uno puncto forsitan variabit.

INDUSTRIA IX.

Actiones nostræ facundanda sunt intensio per proportionem Geometricam.

76.

INDustria præcedens dabit lucem præsentis: ab illâ enim nihil hæc differt, præterquam in variatione Progressionis, in augmento meritorum, atque valoris operum nostrorum. In præcedentia siquidem Industriâ expositum est, quomodo actibus nostris, intensio adjungi possit, & ea quidem per partes seu gradus æquales æqualitate seu proportione Arithmetica; in hac vero docetur actibus nostris addi posse intensioem atque valorem, per partes seu gradus inæquales, hoc est majores & majores in proportione Geometrica & in progressionem tantâ, quanta operanti placet.

rit, aut venire in mentem poterit. Exemplis rem præstat illustrare practicis, quia sic melius intelligetur præfens observatio, quibus tamen exemplis ipsis intelligendis, præmittenda est nota apud Arithmeticos & Geometras, ratio hujus Progressionis seu Proportionis, quam hîc suadere viris Spiritualibus profectumque & lucrum copiosum in sua spirituali negotiatione amantibus desideramus.

Sciendum igitur duplicem esse progressum & proportionem in rebus. Una est, quando res plures sese aliquæ excedunt in partibus & gradibus æqualibus uni certæ parti, ut videre est in numeris v. g. 1. 2. 3. 4. 5. in his enim secundus primum superat parte unâ tantâ, quæ sit æqualis toti priori, tertius secundum superat tantâ parte, quantâ secundus primum superavit, quartus tertium, tantâ superat parte, quantâ idem tertius superabat secundum, & quintus tantâ parte superat quartum, quantâ idem quartus superaverat tertium, idemque numerus quintus superat primam unitatem quatuor partibus, siquidem & habet unitatem, & præterea quatuor unitates alias. idemque est dicendum de reliquis numeris majoribus. Et hæc vocatur æqualitas proportioque Arithmetica, quæ solet attendi in operibus humanis per Justitiam Commutativam.

Et secundum hanc proportionem procedit doctrina tradita in præcedente Industria. Jam alia est proportio in rebus, quando res plures excedunt se non in æqualibus partibus uni alicui, (prout in priore fuit) sed in partibus inæqualibus, proportionem tamen aliquam inter sese habentibus. qualis excessus est in numeris his v. g. 2. 4.

E 5

8. 16.

77.

78.

8. 16. 32. 64. 128. 256. In his enim numeris, secundus primum superat parte, æquali ipsi priori numero: Tertius secundum superat eodem modo similiter, & sic deinceps cùm in proportione illâ Arithmeticâ non sic fuerit. Tantum enim sequens præcedentem superabat, una media parte numeri præcedentis. Nam tria super duo tantum unitatem addit, quatuor etiam tantum unitatem super tria, quinariis super quaternarium tantum unitatem. At verò hic quatuor, supra duo, addit alia duo; octo, supra quatuor, addit alia quatuor, sedecem supra octo, addit alia octo &c. Atq; inde confurgit inter hos numeros dupla proportio. Vocatur autem hæc proportio Geometrica, quæ attenditur in Justitia distributiva, reddente pluribus v. g. personis, non æqualia præmia omnibus, sed æqualia singulis, omnibus autem inæqualia.

79.

Et hæc Proportio, potest variari atque augeri, plusquam imaginatio hominis capere potest. Non solum enim dupla, sed, & tripla & decupla, & centupla, & millenaria, & millionaria &c. potest fieri; quæ etsi nostris humanis cogitativis potentiis confusionem pariat, si distinctè quis eam instituere, & in longum multiplicare velit; tamen in Divino intellectu nihil tale parit, & nostræ voluntati atque desiderio, nihil potest esse imperivium, dummodo libertate suâ uti, prout potest, velit, & conatu mediocri atque per prudentiam temperato, sese in his proportionalitatibus exercere, & fervorem actionum suarum intendere atque augere non pigritetur. Jam igitur ad exempla veniamus. Si quis Coronam dicat Beate Virgini constantem 63. salutationibus Angelicis, is potest unamquamque Salutationem ita recitare,

citare,

citare, ut quælibet Salutatio præcedentem superet sequens, in dupla proportione Caritatis, in B. Virginem propter Caritatem Dei; ita, ut prima Salutatio sit ex Caritate ut unum, secunda ut duo, tertia ut 4. quarta ut 8. quinta ut 16. sexta ut 32, &c.

Potest etiam ita recitari, ut quælibet salutatio sequens, præcedentem superet in tripla proportione, vel in decupla, vel in centupla, vel in millies millies majori proportione Caritatis Dei Matris propter Deum. In quo quantus sit accessus futurus, tum Caritatis in Virginem & Deum, tum meriti, gratiæ, & Gloriæ, tum habitûs; vel ex hoc colligi potest, quòd ad id cogitandum, cogitatio humana sufficere ferè non possit. Certè in trigésimo gradu duplæ proportionis, excrescit numerus 536870912. Jam quantum excrescet in decupla, vel centupla, vel millies-millies majori proportione, à Voluntate intenta & determinata; cogitet & computet qui potest.

Ego hoc loco illud solùm repeto, quod etiam præcedente Industria observavi, vel ex his patere posse, quantos thesauros meritorum habeant, Christiani, Religiosi, Spirituales viri in manibus, qui tamen illis elabuntur quotidie per tot annos, perque tot annorum actiones, per tot momenta temporum ac vitæ quotidianæ.

Sed ad exempla redeo. Si Sacerdos horas 80. Canonicas recitet, potest omnes suæ Orationis literas intendere & velle proferre, cum majori & majori fervore, milliesque millies majori proportione fervoris, Caritatis, (vel alterius Virtutis à Caritate imperatæ, non solùm conjunctæ) usque ad ultimam voculam seu literulam, & literis potest

test syllabas, voces, commata, sententias, totumque precum pensum addere, eademque intentionis intentione rationali formare ac augere, Potest insuper omnes motus actusque potentiarum animæ & corporis intermixtos orationi, simili modo formatos auctosque adungere. Quanto id cum meriti cumulo, computet qui vult aut potest.

31. Id ipsum facere potest Sacerdos, dum Sacrum facturum est vel facit. Id ipsum potest Concionator facere verba facturum, Confessarius cum penitentibus acturus, is qui studet vel docet, libros lecturus vel scripturus, is qui iter agit vel alias occupationes obit, eas peracturus. Janitor v. g. gressus suos circa portam, Emptor circa emptiorem; Cocus circa opera culinæ &c. Neque ea res habet multum laboris, si modò adsit modica diligentia, & Industria. Immo audeo dicere, plerosque nostrum, in nostris actionibus, habere observationes privatas, pias illas quidem & sanctas, magis tamen laboriosas & simul minùs fecundas, quàm ista est de qua loquor, & quam commendo.

32. Hac ipsa Industria potest quis prudens Negotiator, etiam aliorum actiones: aliorum, inquam, non tantum Angelorum & hominum, sed omnium, sed omnium omnino creatorum entium actus, præteritos, præsentis, futuros, possibiles, offerre Deo, & oblatos animare, atque dignificare, sibi que immensè meritorios facere: Si nimirum eos suos (sicut revera sui sunt, saltem pro hoc, quòd sunt vel proximi, vel alicujus creaturæ, cum quarum qualibet est illi communio, & connexio aliqua) faciat, & factos, Deo, cum, & pro

& pro creatura offerat, gratuletur, Charitate in
millies millies majori proportione ferventi.

Hac ipsa Industriâ, potest quis omnia entia
creata, omnium entium creatorum, tam sub-
stantias & entitates, quam potentias & faculta-
tes, quam motus, motiones, & actus, in atomos
& momenta partiri cogitatione, & quemlibet
atomum entitatis & actionis creatæ cupere,
optare, offerre, gaudere, gratulari Deo, cum
millies millies majori proportione Caritatis in
Deum &c. Et hoc potest facere Spiritualis vir
etiam in possibilibus creaturis, etiam in ipso ni-
hilo, in quod Creaturæ assiduo tendunt, vel re-
solvunt cum libuerit Deo, possunt. potest autem
facere sine ulla virium animi & corporis fati-
gatione, modica tantum Industriâ adhibita, &
rationalis suæ libertatis prudenti dispensatione.
Quid enim fatigabit Sacerdotem Horas Cano-
nicas recitaturum, si dicat: (Sanctissima Tri-
nitas te laudo affectu tuo, & Sanctissimæ JESU
Christi Humanitatis, per Matutinum & Laudes,
& per omnes actus potentiarum animæ & cor-
poris, in hac Oratione intercururos, majori
quam unquam fervore Spiritûs, milliesque mil-
lies majori proportione Caritatis atomatim, id-
que ad purum gustum tuum, ad nullum præmi-
um meum) intelligendo per hoc (atomatim)
omnes, & recitationis, & sui ipsius, & actionum
omnium inter recitandum intervenientium:
ita, ut quolibet instanti, indivisibili momento
(quod totum nomine atomi intelligo) intendat
Sacerdos Sanctissimam Trinitatem laudare, vel
amare, vel adorare, millies-millies majori pro-
portione Caritatis, & quidem affectu Sanctissi-
mæ

mae Trinitatis ipsius & Christi Domini. Hæc, inquam, paucula verba, (sic semel percepta & intellecta, prout explicui) quid fatigabunt Sacerdotem? nihil fanè, & tamen nemo dubitat, quin infinitum quendam thesaurum spirituum opum illi sint comparatura. Par Judicium fieri potest, de aliis actionibus humanis quotidianis, quas Deo sicut generatim totas, ita etiam in partes majores & minores, & in ipsa indivisibilia distributas, offerri à nobis nemo prohibet; immo Deus libenter habet, & homines Deo impensè dediti, divinoque lumine collustrati, atque igne succensi, familiariter solent.

Antequam huic Industriae finem imponam; aliqua, quæ tam ad eam elucidandam, quam ad alios usus viro spirituali servire poterunt, adnotabo.

8.

Primum est. Sciat vir Spiritualis plures simul Industrias, in unam aliquam actionem concurrere posse, esseque hanc unam etiam compendiosam artem, in spirituali negotiatione, quomodo in proximâ dictâ Horarum Canonicarum oblatione videre est. Illa enim formula licet brevis videatur, continet aliquot Industrias, (& posset etiam plures continere;) precibus recitandis idoneas. v. g. 1. Quamlibet Horarum Canonicarum, dicit in Honorem Sanctissimæ Trinitatis. 2. Quamlibet partem, dicit affectu seu devotione, vel Sanctissimæ Trinitatis, quâ illa fertur in seipsam, vel humanitatis Christi in eandem Trinitatem, vel B. Virginis, vel omnium Beatorum spirituum ordinum; vel Sanctorum Sanctarumq; omnium. 3. Non solum totas preces ut preces sunt, sed omnia comata, sententias

tentias, verba, horas, offert Sanctissimæ Trinitatis laudi. 4. Neque solum preces ipsas precumve partes, sed omnes motus animæ & corporis immistos precibus, & elicitos occasione precum. 5. Omnes elicit ex Caritate, immo fervore Caritatis, majori quàm antè. 6. Immo non tantum actus sed etiam actiones actuum, & totius laboris, atque etiam subjecti Orantis. 7. Quibus singulis laudat Sanctissimam Trinitatem majori fervore. 8. Et insuper millies-millies majori proportione intenso fervore Caritatis. 9. Et quidem ita, ut quilibet atomus ferveat super alium in millies-millies majori proportione. 10. Et denique ita, ut per hoc totum, nullum præmium à Deo desideretur aliud, quàm pura gloria ejus. Tantus Industriarum cumulus in tot verbis latet, si quis ea in Intellectu suo proferat. Plures Horarum Canonicarum Industrias, tum suprâ Industriâ sexta tum alio in speciali scripto vide. hîc eas repetere, instituta tractatio non permittit, in quâ, tantum Industriæ explicantur, non autem in longum ipsamet occasiones Industriarum pertractantur.

Aliud est; hanc Proportionem, seu Proportionalem Intensionem, vel potius proportionalis Intensionis Voluntatem & determinationem, posse haberi in omni actu qualicunque (modò non sit naturâ suâ malus) & in omni virtute, ex quâ actus potest elici vel imperari. Illud tamen sciendum in hoc, quòd si ista intensionis intentio, applicetur alicui alteri virtuti distinctæ à Caritate Dei, vilissimum sit, & Virtutem illam (unam vel plures) & intensionem ejus in actione informare, nihilominus, actu Caritatis divinæ

ex-

expresso vel implicito ac virtuali; etsi enim actio illa, ex aliâ Virtute sic facta à subjecto in gratiâ & Caritate habituali posito, erit multum meritoria, longè tamen amplius merebitur, & gratiâ & gloriâ, & augmenti in habitu suo, si fuerit actuali Caritate Dei ornata & formata: & longè adhuc amplius, si ipse actus Caritatis Divinæ fuerit in magnâ elicitus intensiōnis proportione: Quam ob causam, supra dictam hac ipsâ Industriâ oblationem Horarum Canoniarum, à Sacerdote fieri posse, ex aliquâ Virtute etiam à Caritate distinctâ, à Caritate tamen imperatâ, & non solum conjuncta cum Caritate. Etsi enim actus Virtutis elicitus ab homine, in Caritate Dei posito, (quod est actum illum Caritati conjungi in presenti) meritorius esse possit; longè tamen plus mereri poterit, quando fiet ex Caritate à Caritate, seu informatus & animatus & penetratus atque fermentatus à Caritate; quomodo lac vel pomum puero placet ex colore, sed longè amplius ex dulcedine coloris illi conjuncta, & albedinem illam lactis, vel colorem pomi penetrante, & fermentante atque condiente.

85.

Vid. Joan.
Cromb. lib. 1.
c. 38. n. 47.
& sequ.

Et ratio hujus rei ex Theologorum placito peti potest. Theologi enim, etsi doceant, omnem Virtutis actum supernaturalem, elicitem ab homine in gratia seu Caritate posito, esse meritorium apud Deum, esse tamen discrimen inter Virtutem Caritatis & alias Virtutes tale: quod scilicet aliarum Virtutum actibus, meritum à Deo non detur, paripsis actibus, seu non æqualiter in actuum gradibus, sed minus (& loquor de merito Gratiae atque Gloriæ) ita, ut si actus Vir-

virtutis sit ut 6. fervens, non rependantur illi pro
 meriti gratia gratiæ vel gloriæ 6. sed tertia parte
 minus nempe duo. Si actus sit graduum 12.
 gratiæ & gloriæ meritum, erit graduum quatuor;
 si actus sit graduum 24. meritum erit gra-
 duum octo, & sic deinceps. Dixi me loqui de
 merito Gratiæ & gloriæ, per aliarum Virtutum
 actus parando, nam de merito augmenti habi-
 tûs illius Virtutis, cujus elicitur actus, sentien-
 dum sic est, quod latitudini actûs eliciti, re-
 spondet latitudo augmenti habitûs, illius Vir-
 tutis cujus est actus. At verò actibus Caritatis
 divinæ, quibus Deus super omnia diligitur, re-
 spondet meritum Gratiæ & Gloriæ, par & æqua-
 le actui ipsi, consequenterque & meritum habi-
 tus Caritatis. Quamvis de augmento meritové
 habitûs Caritatis, si ab actu adæquetur habitus,
 ajunt Theologi, quod habitus accrescat in duplâ
 proportione. Ut si v. g. actionis fervor sit 10.
 graduum, habitus, qui supponitur etiam esse ut
 10. augetur ad gradus 20. ex quo habitu si rur-
 sum eliciat, actus illi par in gradu, habitûs inten-
 detur ad 40. & si id rursus fiat, rursus habitus ex-
 crescat ad 80. & sic deinceps.

Nec immeritò id tribuit Caritati, quia enim
 Caritas est & amor Dei, quo Deus & diligitur
 ab homine, & vicissim homo diligitur à Deo,
 unde & amicitia seu amor mutuus dicitur, ideo
 maximè proportionatur Gratiæ, simulque Glo-
 riæ, adeo ut aliquibus Theologis videatur non
 differre à Gratiâ ipsâ, sicut & Gratiâ à Gloria
 non differt: quo fit, ut pro sui latitudine merea-
 tur ac recipiat latitudinem etiam Gratiæ atque
 Gloriæ. Quare sequitur, nullum esse facundius

V. P. Druzb. Op. IV.

F

Ne-

86.

Negotiationis genus cum Deo, quam per mer-
 cimonium Caritatis. Expedi igitur nihil agere
 sine Caritate. expedi, inquam, omnem actum
 cujusque Virtutis simul fieri actum Caritatis fiet
 autem, si imperetur à Caritate, si eliciatur ex Ca-
 ritate, si eliciatur propter Caritatem, & denique
 si eliciatur cum Caritate, non solum concomi-
 tante & simul existente habitualiter in subjecto,
 sed cum Caritate cooperante, immo operante
 actum illum alterius Virtutis, atque, condiente
 & fermentante, quomodo cum amicus amico,
 vel sponsa, fervile licet obsequium præstat, facit
 illud cum Caritate amici, cum Caritate sponsæ,
 hoc est, facit ita, ut actum illum obsequii ani-
 met sponsali suo amore. Sic ergo assero, expe-
 dire actus aliarum omnium diversarum à Cari-
 tate Virtutum, conjungi & informari actu Ca-
 ritatis: actu dico, non habitu solo, & actu per
 illam proportionem jam explicatam intenso, in-
 tensione rationali: hoc enim & dignificabit actus
 aliarum Virtutum, nam eos ad dignitatem actus
 Caritatis evehet; omnis enim actus, illius ha-
 bitus esse censetur, à quo imperatur, & in cuius
 finem dirigitur, & efficitur meritorius longe am-
 plius Gratiæ & Gloriæ, quam fuisset, si in Cari-
 tate quidem, non tamen ex Caritate elicitus
 fuisset.

87.

Tertium est: Tam hanc modo explicatam
 conjunctionem actuum Caritatis cum actibus
 aliarum Virtutum, quam superius paulò com-
 mendatum plurium Industriadum varii generis
 concursum atque nexum, quam quarumlibet
 aliarum piarum consuetudinum, quam denique
 omnium quarumlibet actionum exercitationem,
 posse

G. B. 11
 G. B. 11
 Oper: 11
 Tom: I
 N. V
 56

posse summâ cum utilitate informari, hujus Industriæ præsentis per hanc Intensionem Proportionis Geometricæ adjunctione, dummodo quis hac in re, nec piger fit ut non utatur, nec imprudens, ut indiscretè, atque multa cum actuacione utatur, de qua re jam alias monui, nunc immorari, nihil attinet in hoc puncto, cum sit jam ex ante dictis satis notum.

Quartum est; ut nemo miretur, quod dicam, hac Intensione, jam explicatâ mirè augeri pretium & valorem actuum nostrorum, sicuti in illâ priore, quam proximâ Industriâ explicui: etsi enim in aliis actibus, quos Voluntas à suis diversos per alias potentias elici jubet, non valeret hoc, quod hîc assero, & tanquam certum suppono; tamen in actibus Voluntatis hoc maxime valet. Etsi enim non per hoc ipsum quis velocissimè currit, quia vult velocissimè currere, neque per hoc ipsum perspicacissimè novit difficultatem, quia vult nosse perspicacissimè, tamen in voluntatis propriis actibus ita est; per hoc enim quòd aliquid Voluntas velle vult, jam illud vult, & per hoc quòd aliquid amat, sine dubio amat, & consequenter per hoc quòd aliquid (puta Deum) tantopere amat, tantopere amat; quòd Deum tot gradibus amoris vult stringere, tot gradibus stringit; Voluntas enim stringendi est strictio, voluntas gaudendi de Dei bonis, est gaudium de ejus bonis.

Et causa manifesta est, quia hîc idem est actus elicitus, qui & imperatus, aut si aliquando alius alium imperat, eadem tamen est voluntas quæ imperat & cui imperat. Unde, quantum sibi imperat, tantum in se facit, immò ipso imperio

F 2

facit

facit & ipsum imperium est actus imperatus. Voluntas enim sola est talis potentia, ut ipsa sola sibi imperare possit: sicut ergo ipsa sibi potest imperare, ita etiam sola ipsa imperium suum adquire potest, immo sola ipsa Imperio suo hoc facit, quod sibi imperat, & ipsum imperium facit, simul esse etiam imperatum, nec opus sit actu ad actum, sed actu quo imperat, potest facere id quod imperat, quia non aliud quam actum suum sibi imperat. Neque enim imperat aliter quam volendo, nec aliud imperat nisi velle, seu ut velit: Si ergo aliquid se velle vult, vult ergo se velle, & consequenter facit hoc, quod se facere velle vult, consequenter tantum efficit quantum vult, quia efficere illius est velle efficere, quod in nullâ alia potentiâ, est præterquam in unâ sola voluntate liberâ. Quod quando Voluntas videtur procedere ad actus impossibiles, & eosdem sibi imperare, hinc sciendum est, quod talia imperia, vel sunt intelligenda per impossibile, vel conditionate, si esset possibile, vel quod actus Voluntatis sit possibilis, quia de facto fit & habetur à Voluntate. vult enim impossibilem actum, licet alius actus qui est objectum illius, sit impossibile. Quomodo cum dicimus Deo: *Domine cupio te amare quantum Tu Te amas.* Talem actum à Voluntate haberi est possibile, quia habetur de facto, & verbis exprimitur, licet actum qui hoc actu desideratur, habere sit impossibile.

88.

Hæc de præsentî Industriâ dixisse sufficiat, quia plures alias simul expositas esse, prudens Lector advertet, immo verò & ex eis alias etiam plurimas ipse per sese colliget. Inter quas illæ etiam

etiam, quod prudentiæ spiritualis non postrema portio sit, scire atque curare facere actus fecundos & prægnantes variis rationibus augentibus & multiplicantibus meritum Gratiæ & Gloriæ apud Deum. Qua ipsa in prudentiâ ille laudatissimus gradus est, cum quis scit hanc fecundationem actionibus suis addere, per rationes quasdam atque veritates, formalitatesque solidas, sublimes, generales, latas, & transcendentis, summè defæcatas & purificatas, purificantesque ac multiplicantes valde, & quidem paucorum verborum compendioso ambitu.

Cujus rei exemplum est hæc Industria præfens, ad cuius normam non erit difficile alias conformare & excogitare, aut etiam in Sanctorum exemplis invenire. Non est enim novum Davidi omnia ossa sua, omniaque interiora sua, ad benedicendum Deum excitare; omnia item creaturarum genera, ad Dei laudes evocare, pro hisque Deum exaltare. Non est novum tribus Pueris, & cum eis Ecclesiæ, Deum benedicere omnibus, cum omnibus, & pro omnibus creaturis, specificè enumeratis. Non est novum Sanctæ Gertrudi Virgini, Deum per omnia ossa sua quæ numerat 225. venerari. Ecclesiæ non est novum pro numero annorum vel Christi Domini, vel B. VIRGINIS, eundem Christum eandemque VIRGINEM honorare. Itaque nihil attinet in hoc amplius explanando immorari, sed tantummodo attinet, nos in eo Industriæ genere usurpando, quàm diutissimè & frequentissimè occupari.

INDUSTRIA X.

Actiones nostra ad Excellentiam Heroicam deducendæ; præstatque tales potiùs paucas, quàm remissas multas fieri.

89.

DUæ præcedentes Industriæ, ejus (meo iudicio) sunt fecunditatis atque latitudinis, ut ex penè solæ sufficiant ad fecundationem Actionum nostrarum, & ad complectendas omnes alias Industrias, quæ forsan in hoc genere esse possunt à nobis; & denique ad aperiendam viam, atque normam aliarum Industriarum, à quolibet pro suo spiritali gustu excogitandarum atque adhibendarum; quia tamen hunc Industriarum conscribendarum laborem idcirco præcipuè mihi assumpsi, ut spiritalium mercium divitiarumque avidis, earum venas aperirem & in eis Marte suo excogitandis, vel laborem minuerem, vel saltem in labore præcundo, viam complanarem; ideo ad præcedentes duas satis generales, afferam in sequentibus, aliquas particulares magis Industrias, juxta quas, veri negotiatores possunt operibus suis magnam sublimitatem spiritûs, magnumque ad merendum pondus, actionibus suis attribuere.

90.

Est igitur Industria singularis crescendi in meritum aliosque thesauros comparandi, paucas aliquas actiones elicere, sed eximiè & heroicè, & in gradu excellenti, intenso, defæcato à propriis commodis & laudibus. Præstat enim potiùs paucas facere, & ingenti conatu & fervore Caritatis, & æstimationis Dei, quam multa tumultuariè, indeliberatè, festinè, præcipitanter, hoc solum,

nt expédiantur, attendendo & curando. Quo *Vide simile*
 sensu, præstat, unam orationem Dominicam re- *infra Indust.*
 citare, devotè, mediatè, attente, intensè, ar- *27. fol.*
 denterque, quam totum decurrere Rosarium
 cursim, festinatè, lingua mentem præcurrente.
 Hoc etiam sensu, (licet in aliâ materiâ) præstat,
 alicujus veritatis, vel assertionis unam rationem
 solidam, certis & indubitatis nixam principiis af-
 ferre, & confirmare, atque omni genere argu-
 mentorum comprobare, quam conglobare mul-
 tas, nullam solidam.

Hoc sensu dicitur vulgo, quòd unus actus in- *91.*
 tensus, faciat pro mille tepidis. Facit, inquam,
 revera. nam & plus meretur, plus impetrat, plus
 satisfacit, plus habitus producit, plus diaboli sen-
 sualitatis, voluntatis propriæ, propriæ repugnan-
 tiæ conatus infringit, plus tentationes omnes
 prosternit, plus Diabolo de victoriâ ex homine
 consequendâ desperationis injicit, plus virium,
 plus facilitatis, plus animi & resolutionis & præ-
 parationis in futurum homini parturit, unicus a-
 ctus strenuus & heroicus, quàm mille remissi &
 frigidi. Semel S. Franciscus leprosum paupe-
 rem abhorrens sese ad ejus osculum & comple-
 tum demisit heroico conatu, & in posterum o-
 mnem sibi similem nauseam absterfit. Semel
 Catharina Senensis, semel Franciscus Xaverius
 purulentum ulcus saniemque ejus corruptam,
 triumphante ore & linguâ suxit, & ab omni se in
 posterum nauseante molestiâ liberavit: quod
 non fecisset mille remissis circa hoc actiunculis.
 Semel Thomas Aquinas, Lupam à se strenuo
 conatu & ausu abegit, & deinceps, eam pacem
 à luxuriâ consecutus est ministerio Angelico,
 quam

quam plerique plurimis plurimorum annorum laboribus sudoribusque, non assequuntur. Nimirum verum est, quod unus actus intensus, pro mille faciat remissis.

92.

Essent hujus rei rationes de longè petendæ, sed hîc talium locus non est. Satis sit experientia; tam ista Sanctorum jam adducta, quàm quotidiana eorum, qui id experiuntur semper, quoties in aliquo genere difficultatis sese strenuè superarunt, sive in tentationibus à Carne, sive in conculcando proprio honore, sive in condonandis injuriis, sive in similibus occasionibus; in quibus, una strenua victoria sui, æternam quandoque pacem affert victori. Maximè verò id, quod asseritur hic, probabit experientia cujusque, si volet in semetipso eam cognoscere. Et quis nolit unius momenti labore mercari æternam victoriam, perpetuamque ab hoste pacem, cum aliis, jam suprâ recensitis commodis. Sed quaeret aliquis ex me, rationem strenuorum istorum & Heroicorum actuum exercendorum. Ad quod, quàm brevissimè licebit, respondebo.

93.

Heroici actus atque strenui, possunt esse, aliquando ex solo objecto, aliquando ex solo subjecto, aliquando ex solo conatu, aliquando ex his omnibus, aut etiam pluribus causis. Si sit objectum aliquod arduum, difficile, rarum, & quod vulgò asseritur apud omnes non esse cujusvis mentis, & animi, & laboris, præstare; quale fuit v. g. illorum trium militum Davidis, petentium aquam ex cisterna Bethleem, per medium castrorum hostilium: arduus sanè fuit actus ex objecto, & objecti circumstantiis, & ideo heroicus fuit amor ille in Regem. Si sit quidem ob-

jectum.

jectum non adeo sublime & excelsum, sed sub-
 jecti abhorrentia gravis ab objecto, qualis fuit
 in Xaverio ab Elephantiaci hominis sanie, eam
 abhorrentiam superare, heroicum fuit. Si ne-
 que objectum sit arduum, neque abhorrentia
 animi gravis, sed tantum in animo ipso & actu
 ejus sit conatus, sit ardor, sit diligentia & cura
 singularis, potest & tunc actus esse heroicus,
 quantumlibet ille oculis hominum videatur esse
 ordinarius & communis. Sic aliquando filere
 ea, quæ in mentem dicere veniunt acutè, lepidè
 &c. Sic aliquando exiguum aliquem defectum,
 vel irrationalem suam cogitationem, quæ etiam
 involuntariè obrepserit, publicè coram fratribus
 fateri: sic aliquando flosculum non decerpere,
 nec naribus admovere; sic aliquando lapidum
 gulæ bolum vel poculum negare, immò tan-
 tum, dum æstuat ejus desiderio, differre; sic lo-
 cum aliquem scopis verrere exactè, aut lances
 triclinii eluere, magno cum conatu devotionis,
 seu quod idem est, Caritatis, Obedientiæ studii,
 fraternæ Caritatis, poterit esse in hisce omnibus
 ac similibus actus Caritatis, immo & in ipsis
 actibus, purè internis, & in nullum actum exter-
 num prodeuntibus. Si verò concurrant præ-
 dicta omnia ad actum, quomodo ad obedien-
 tiam Abrahamæ concurrerunt universa; nam &
 objectum eximium, & animi lucta ingens, & co-
 natus devotionis egregius, & omnes aliæ cir-
 cumstantiæ exaggeratæ, ad facinus illud Patriar-
 chale accesserunt, ideo heroicum fuit, & tanti
 à Deo, quanti notum est, æstimatum.

Praxis Industriæ præsentis poterit esse pro
 varietate occasionum & animorum varia. Ac

F 5

inter

inter alias hæc v. g. Assumat homo spiritualis actionem suam aliquam v. g. Orationem horariam, Sacrum, Horas Canonicas, laborem culinæ, laborem docendi in Scholâ vel discendi &c. & eam Actionem circumspiciat undique, ita ut perspectos habeat, defectus, qui ubi intervenire illi solent, perfectiones quas ibi adhibere possit (omittere autem forsan solet) quâ intentionis puritate, quâ sui humiliatione, quâ effusione sui totius in Deum, in proximique Caritatem propter Deum, quâ constantiam animi, quâ Dei præsentis reverentiâ; quibus affectibus cordis &c. effecturus sit Orationem illam horariam, vel aliud quodvis opus: & hæc omnia actu ingenti, resoluti, parato etiam ad graviora & grandiora adhibenda, vel superanda affectu, facere primum proponat, deinde re ipsâ facere aggredietur, peragat: ubi peregerit, totum totaliter Deo subdat, & solam sibi confusionem faciei reservet. Sic qui oraverit per horam, docuerit vel studuerit per horam, vel quidvis aliud egerit, omnibus licet commune; dico, Orationem, doctrinam, studium, omnem ejus actum illum sic factum, heroicum fore. utinam sic vel unam in die actionem agamus (agere sanè omne opus deberemus) & per singulas actiones agere, omnes sensim consuecamus! sanè longè plures in Religiosis domibus, in cætibus perfectionem profitentium, re ipsâ perfecti essemus.

95.

Ex hoc fonte, profluxit illud documentum; quod plus habet in recessu & in intimis, quam in exteriori sensu præferre videtur: Ordinaria faciendâ sunt non ordinariè. Quod gravissimus nostræ Societatis, noster Pater Hieronymus Natalis,

talis, solitus erat ex omnibus præcipuè commendarè. Vide Histor. Soc.

Consimili ratione vir studiosus profectûs sui, eligat aliquam Virtutem, ejusque formalem actum, ex electione, deliberate, advertenter, eliciat, & eliciat in eo gradu, qui est in illius Virtutis specie, vel ex animi dispositione difficilis, vel si non difficilis ei ob habitum & usum, attamen sublimis & perfectus; & eliciat sive tantum interno animi, singulari conatu, sive insuper etiam externo aliquo, qui sit imperatus ab illo interiore; eliciat, inquam, illum, esto circa objectum non planè arduum, esto absque repugantiâ, immo cum delectatione animi, eliciat tantum ex proposito, deliberatè ex purâ placendi Deo intentione, eliciat perfectè & defæcatè sine intuitu sui ipsius ullo: etiam hic actus erit Heroicus; erit strenuus, & pro mille remissis, (certè pro multis) faciet. Quòd si etiam ad actum accesserit objecti aliqua raritas, & cum raritate difficultas, & aversio inferioris hominis, & solitudo cordis, & nuditas spei concupiscentis, gratuita, sola Caritas Dei, &c. ingens accedet cumulus tum perfectionis, tum dignitatis valorisque actui. Estque hæc singularis ratio proficiendi in virtutum soliditate & perfectione si præsertim tales actus fiant frequentius in diem ejusdem Virtutis; si per aliquod longiusculum tempus exercitatio duret, puta unius vel alterius mensis: denique si accedat occasio, vel sponte se offerentium commoditas, vel, si se sponte non offerant, quæsitio, aut certè propositio saltem imaginaria & conditionata. Ut si quis sibi imaginetur gravem aliquam
(re-

(respectu sui) occasionem & materiam contemptus, & eam sibi veluti presentem in circumstantiis aggravantibus proponat, loci, temporis, personarum, modi &c. & ad illum contemptum sese odio sui, & studio confundendi sese ex debito sibi cognito contemptus, ex aestimatione Dei, ob quem contemni, exaltari est non contemni, adeo, ut hoc omnem hominis indignissimi statum superet, ex Christi Domini quam proximam imitationem &c. sese resolvat, puro Dei gloriae ardentissimoque intuitu; Erit Actus iste Heroicus.

Atque huiusmodi actus, si fiant aliquoties in diem per unum mensem, ingenerabunt in hominis animo, contemnendi sui seu humiliandi habitum excellentem, magnamque ad contemptus devorandos inducent promptitudinem, adeo, ut etiam plus postmodum periculi sit futurum ex ambitiosa cupiditate contemptuum, quam ex fuga illorum. Et quod in una hac virtute dixi, idem potest fieri in omni alia militantibus quoque aliis prae-teritis Industriis.

96.

Alias huius Industriae praxes, prudentia, experientia, & imprimis unctio docebit; hasce duas vel tres attulisse suffecerit. Sub finem monuerim, ad rectum eius Industriae usum conferre plurimum,

1. Si quis omnium aut saltem potissimarum Virtutum naturas, species, gradus, occasiones, actusque formales cognoscat: Sic enim facilius ex earum indole ac ingenio, actus elicere poterit magno cum lucro, parvo cum labore.

2. Proderit etiam, si quis sciat, perspectasque habeat rationes virtutum, & actionum, communes omnibus, ac ideò, etiam servituras omnibus,

per

per quas, actiones tam virtutum, quàm aliarum occupationum, fiant puræ & Deo gratæ, atque gustabiles modo non plebejo, nec ordinario. Quas rationes superius quidem perstrinximus, in explicatione Industriæ, sed ex proposito forsân alicubi erant explorandæ, nunc eas attingo pauculis.

Ac primum suppono, hominem debere esse in Gratia Dei, & amicum. hoc enim nisi fiat, omnia frustra sunt.

Deinde oportet esse actum humanum, hoc est liberum, deliberatum, voluntarium, ex electione tam actûs, quàm etiam circumstantiarum ejus. Post hæc, oportet esse actum supernaturalem ex motivo, sine atque etiam quoad fieri potest, mediis supernaturalibus, & fide notis, atque revelatis profectum & exercitum.

Insuper oportet esse actum supernaturalem, ut dixi, & quidem ex motivo sublimi. Sublime motivum vocatur illud, quod abstrahit valde à creaturis omnibus; quod abstrahit valde ab omni creaturarum amore, gustu, spe; quod abstrahit ab ipsius operantis commodo, non tantum sensuali, sed etiam rationali, etiam supernaturali, nisi propter ipsum Deum, sit illud ipsum commodum; quod abstrahit ab omni, omnis creaturæ etiam sanctæ gustu, præterquam propter Deum, ita ut hic ipse gustus in Deum tendat, & creaturæ appetantur propter Deum; quod abstrahit à libertate propriâ & delectu proprio, & sese in solius Dei nutum, & si quid minutius signum placiti Divini potest esse ipso nutu, deponit, resignat, sepelit, demergit; quod abstrahit ab omni curâ & inquietudine &c. Hoc solemus vocare motivum

97.

vum sublime, defæcatum, purum, nudum, solitari-
 um, gratuitum, quod est solius Caritatis &
 Resignationis puræ in Deum, quæ in merito ne-
 que meritum quærit, nec mereri volendo, vult
 mereri, sed vult mereri, quia Deus vult illum
 mereri, & meriti quæstione Dei gustum im-
 plere.

98.

3. Proderit nosse, quod non ex difficultate
 operandi vel facilitate atque suavitate pendeat ra-
 tio Excellentiæ Heroicæ in actibus. Nam si sit
 difficultas ex imbecillitate virtutis in animo, at-
 que ex parvitate conatûs ad eliciendum actum,
 ex tepore Caritatis in Deum, propter quem fiat
 actus; hæc difficultas non tantum non facit ut sit,
 sed potius facit ut plurimum ne sit actus Heroi-
 cus. At verò si sit difficultas ex parte quidem
 sensibili aut inferiori hominis, promptitudo au-
 tem ex parte Voluntatis superioris rationalis, cum
 aliis suprâ expositis requisitis, tum difficultas hæc
 facit, ut sic actus Heroicus,

99.

Cæterum in perfectis viris, & virtutes possi-
 dentibus in gradibus eximiis, actus Heroici esse
 possunt, etsi cum summâ facilitate, suavitate, ac
 hilaritate illos eliciant. Facilitas quippe illa, fru-
 ctus est Victoriarum præteritarum, & triumphus
 de adversario homine in sese victo. Quæ proinde
 promovet & facit, excellentiam Heroicam, in
 actibus, cum hoc ipsum sit heroicum magnos
 magnarum Virtutum actus facere, non tantum li-
 benter, non tantum faciliter, sed etiam delecta-
 biliter, atque connaturaliter. alioqui si hoc non
 esset, tunc aut non essent actus Virtutum exer-
 cendi, neque per eos parandi habitus intensi Vir-
 tutum, siquidem habitibus & facilitate, impedi-
 retur

G. B. P. U. S.
 S. I. C. K. I.
 OPER. U.
 TOM. I
 N. V
 56

retur excellentia heroica aut certè in actibus heroica sublimitas, nihil laudabile contineret, quod tamen contra omnem rationem esse constat.

Denique sequeretur in Christo Domino nullam fuisse Heroicam Virtutem, quia in eo nulla fuit difficultas, summa verò facilitas exercendi actus Virtutum: atqui constat in eo plusquam fuisse heroicas Virtutes omnes; Facilitas ergo stat cum excellentiâ heroicâ, atque illam adjuvat; ac proinde ad eam conandum est, in exercitio Virtutum assiduo, ita ut ex facilitate, heroica sublimitas, ex heroicâ sublimitate, facilitas exercendi nascatur.

INDUSTRIA XI.

Actiones sic à nobis sunt exercenda, ut sint superiores habitibus suis.

Humanæ actiones fiunt vel sine habitu, vel ex, & cum habitu, vel secundum habitum, vel supra habitum, vel infra habitum. Sine habitu facimus actiones, quando aliquas primò aggredimur facere. Ex habitu facimus, quando jam per actuum repetitionem, consuetudine agendi contractâ, ex illâ & cum illa consuetudine (quæ habitus est) facimus. Infra habitum facimus, quando agimus ex illâ quidem, & cum illius consuetudinis auxilio, non tamen cum eâ latitudine atque conatu, cum quantâ possemus ex vi illius consuetudinis atque facilitatis sive habitûs, sed cum minori. Secundum habitum facimus, quando actione ipsâ vires & latitudinem illius consuetudinis æquamus. Supra habitum facimus, quan-

100.

do agendi conatu, facilitatem habitumque excedimus, ita ut actio plus habeat in se latitudinis atque graduum, quam habuit habitus, quod absurdum non est: tum quia actio potest esse sine habitu; tum quia non solus habitus est principium actionis atque conatus in actione, sed libertas animi, gratiâ divina adjuti; quo fit, ut postquam animus suo conatu agendi adæquaverit habitus sui vires & gradum, adhuc possit ulterius pergere, libertatis suæ conatu, & Gratia fervore stimulante simul atque adjuvante.

101.

Hæc quintuplex ratio agendi, Prima habet difficultatem gravem, secunda minorem; Habitus enim cum sit facilitas, inde fit, ut agere ex habitu & infra habitum, immo & adæquate habitui minorem pariat difficultatem; immo verò inde fit, ut pro mensura habitus, sit etiam mensura difficultatis vel facilitatis; ita, ut si magnus sit habitus, magna sit facilitas, parva difficultas in agendo. Adæquate tamen habitui agere, difficultas esse solet & potest; quia non semper homo animi conatum ad agendum adhibet parenti habitui suo: quo fit, ut habitualement præparationem non adæquans potentia conatu, actu etiam non adæquet. Quod maximè in supernaturalibus contingit actionibus atque habitibus, qui non dant facile posse, sed tantum simpliciter posse.

Longè verò maxima difficultas est, supra habitum operari, & conatu habitum excedere; hoc enim facere, est nihil aliud, quam facilitatem agendi superare; superare autem illam non est facile, ut patet ex terminis. Si enim esset facile facilitatem superare, hoc ipso non superaretur

facili-

G. B. U. S.
 S. I. C. I.
 OPER. U.
 TOM. I
 N. V
 56

facilitas, sed tantum æquaretur ad summum: vel certe infra illam ageretur contra suppositionem; Supra habitum ergo agere non est facile, quia est quasi ultra vires, saltem facilitates habitu, agere. Unde sequitur, singularem esse difficultatem agere supra habitum, consequenterque, rara & insignis admodum Virtutis, ferventisque Caritatis ita operari: ac tandem consequens est, magni esse pretii meritiq̄ue apud Deum, ita propter Deum operari.

Atque hoc est, quod præsens Industria commendat ferventibus & diligentibus operariis Negotiatoribusque. Suadet videlicet, ut non sint contenti, operationes suas exercere ex habitu, vel cum habitu, vel infra vires habitus; Sed ut contentur semper, aut adæquare habitum, aut certe etiam superare. id enim cum est per sese magnificum, tum Deo summe gratum, tum ad fervorem in nobis conservandum augendumque mire proficuum.

Quid verò sit operari supra habitum, & facilitatem, quam habet quis ex usu contractam superare, ingenuè fateor, me id explicare aliter, quam jam explicui, non posse. Nam & difficile est hoc aliter explicare, & apud Scriptores talium, legere me nihil meminisse de hac materia, nisi id quod jam dixi. quippe omnes hoc non tam explicant, quam adducunt, & veluti rem notam adduxisse, præcepisseque vel consuluisse contenti sunt. Accedit verò, quòd non sit facile cognoscere, quanti sint in nobis unuscujusque qualitatis præsertim spiritualis habitus: quo ignorato necesse est etiam ignorari, quomodo sunt superandi habitus actionibus. Itaque, hoc univer-

V.P. Druzb. Op. IV.

G

sim

102.

sim tradiderim. Primò, ut unusquisque dum operatur, conetur cum eo, cum quo videtur sibi posse operari conatu. Discretionem tamen salvâ, ne fortè dum habitum superare volumus, superemus etiam potentiam & naturam.

Deinde, ut quis sciat, quantos habeat habitus alicujus virtutis in se, attendat primùm, quàm frequentes & quam ferventes, & quam longo tempore elicuerit actus alicujus Virtutis: ex his enim facilè teste conscientia, colligere poterit de Excellentia habitûs illius Virtutis in se.

103.

Præterea attendat in præsentem, quam libenter, quam facilè & expedite operetur alicujus Virtutis actus. nam si ægre, rarò, repugnanter, cum imperfectionibus operatur actus, palam est infirmum esse habitum. Sin verò crebrò, facilè, avidè, cum nulla, aut cum modica, aut cum strenuè vinci solita difficultate operatur, dubium non est, habitum esse Virtutis insignem & validum, quem adæquare operando, ferventis; superare, valde ferventis, & valde conantis est. Quid autem sit hoc? jam dixi, me nescire. Illud repeto jam alias dictum, quam ferventissimè salvâ discretionem operari, id fore, vel æquare, vel superare habitum actione. Certitudinem in his & evidentiam nunquam fore nobis in hac vita, Deo id soli notum; nobis satagendum est, ut per bona opera certam vocationem nostram faciamus, & quidquid potest manus nostra, id instanter operemur: Neque operemur ad mensuram & ad solum debitum, sed ad supererogationem. tali enim Domino laboramus, qui nobis etiam, si quid supererogaverimus, soluturum se promisit, & soluturum quidem mensuram bonam,

am, confertam, & coagitatam, & superefflu-
entem.

Cum ergo talem habeamus solutorem labo-
rum nostrorum; quid mirum, si ille etiam vult,
nos tales esse laboratores, qui faciamus, opera
plena, opera perfecta, confirmata, cum usu-
 & foenore, ad mensam data, atque recepta, &
Domino tradita, afferentia fructum tricesimum,
sexagesimum, centesimum. Hoc igitur agamus,
vires nostras metiamur & intelligamus, quas ex
Dei Gratia nobis communicata, ex quotidiano
labore acquisivimus, atque ex earum mensura
laborare, operarique satagamus.

Caterum uberiolem hujus Industriae magis-
tate practicam explicationem à me nemo expe-
ctet; exemplis enim & praxibus hæc res decla-
rari non potest scriptis, sed factis. Faciamus
aque actus strenuos, heroicis, viribus nostris
quam maximè proportionatos, & tunc, sine
magisterio clarissimè cognoscemus, hoc, quod
doceri à nobis non posse, libenter, quia
scire, confitemur.

INDUSTRIA XII.

lectiones nostræ sublimandæ in meritis JESU

Christi & Pretiosissimæ Parentis

MARIÆ.

Scitis constat inter Fideles, nihil Ecclesiam ha-
bere pretiosius, quo vel placere, vel demereri,
vel placare possit facilius Deum suum,
quam JESUM CHRISTUM, ejusque MA-
TREM dignissimam. Non est opus hoc loco

G 2

à me

à me recenferi, quantos in Christo thesauros habeamus; quantam fiduciae causam in Christi Matre; hæc tractare non est Instituti præsentis: supponimus hæc aut nota alias Lectori harum Industriarum, aut certè aliunde horum notitiam petendam. Hic tantum dicimus docemusque, singularem, commendatissimam, & usurpandam esse à Spiritualibus Mercatoribus hanc Industriam, ut quidquid tandem agant, quocunque modo, & quavis potentiâ suâ, id totum JESU Christi Humanitati, conversationi, actionibus, meritis, gratiæ uniant, unitumque DEO offerant, vel certè manibus JESU Christi Humanitatis benedictum, sanguine respersum, meritis unitum, Gratiâ illustratum, actionibus Theandricis sigillatum, per easdem illas Christi manus, conspectui SS. Trinitatis præsentari petant.

106.

Huc facit illud, aliquibus & commendatum, & usitatum spiritualibus Hominibus, actiones nempe suas, immo & potentias, & demique toto secum corpore & anima, JESU Christi vulneribus, nunc pedum, nunc manuum, nunc cordis seu lateris, immittere ac immergere: imbi se purificare tanquam immundissimos, calefacere tanquam frigidissimos, confortare tanquam debilissimos, dignificare tanquam vilissimos, se, inquam, & sua omnia, tam dicta, quam facta, quàm cogitata, quàm potentias istorum omnium causas. Ita Sanctum Franciscum legimus, solitum sibi factitare balneum, ex Christi Domini vulneribus, & in eo quotidie, testis S. Bonaventurâ, animam suam lavare. In quo SS. virum imitari, nescio quid nos prohibeat.

G. B. 1722
 G. B. 1722
 Oper: 11
 Tom: I
 N: V
 56

cum Christus sit melior Jordanis, nos verò ma-
 gis leprosi quàm Naaman. Cùm Christus sit
 Petra foraminata, in quâ nos simplices colum-
 bas, ab unguibus infernalis herodii abscondi
 saluberrimum est. Huic etiam vicina est illa
 consuetudo Sanctæ Virginis Gertrudis superiùs
 me recensita, linguam suam locuturam, im-
 mergere solitæ in Christi sanguine. Quod idem
 ne à nobis per omnia opera, perque omnes po-
 tentias & particulas nostras fiat, sanè nihil pro-
 hibet, modò ne negligentia & dilatio prohi-
 beat.

Huc quoque faceret, si quis id sibi familiare
 faceret, opera omnia sua facta vel facienda,
 cordi Christi JESU (vel alicui vulneri) immittere,
 ac in eo velut in Alchimistico instrumento deti-
 nere atque sublimari cupere; sicque sublimata,
 & Theandrica quodammodo effecta, per manus
 Christi, Sanctissimæ Trinitati offerre. Non po-
 terunt non reddi opera nostra per illas manus
 fecundissimas, quia illæ sunt manus, inter quas,
 pauci pisculi, & quinque panos, in quinque ho-
 minum millia multiplicati sunt. Illæ sunt ma-
 nus, quæ cùm aperiuntur, implent omne animal
 benedictione &c. Sic se suasque potentias &
 suas actiones Christo unire; hoc est illud quod
 Salvator desiderat: hoc, inquam, est in Christo
 manere, Christi palmitem esse, Christi mem-
 brum esse, de Christo vitam, robur, & spiritum
 haurire.

Hujus Industriæ, nusquam non potest (di-
 cere debueram, non debet,) esse usus inter spi-
 rituales viros. Ac inter cætera opera, ac tem-
 pora, suaderem ut concessuri dormitum, lave-
 mus

mus animas nostras, ab omni inquinamento delicti, in sanguinis & vulnerum Christi Domini balneo: suaderem ut omnia, quæ de manu Domini accepimus, opera, potentias, substantiam totam nostram, seu nos ipsos, Deo restituamus semper, & in vulneribus Christi JESU conservandos deponamus: suaderem, ut omnia opera agenda, vel etiam acta, Christi sanguine meritisque respergamus & ornemus, & cum talibus tantum divino in conspectu versari, eidemque morientes fisti laboraremus: hoc enim, puto, esset, lavisse stolam suam in Sanguine Agni.

109.

Plura de hac operum nostrorum cum Christi communiõne, deque modis & sublimitatibus, subtilitatibusque eam faciendi non adfero. Nec enim defunt alii, qui hæc tractarunt, & ex his quisque alios formabit ad gustum suum praxes. Hæc, quæ de Christo attuli, dicta volo & de Pretiosissimâ Parente Virgine MARIA: per cujus etiam merita ornari opera nostra, non absque ingenti sæcunditate possunt: possunt; immo debent, per ejus manus offerri Divinæ Majestati omnia. Majestas quippe illa gaudet, totum à nobis habere per Mariam, quæ etiam nihil nos habere voluit nisi per Mariam. Quidquid ergo offerre paramus, MARIE commendamus, ne fortè patiamur repulsam. Quam ob rem cum alias semper omnes quoad fieri potest, actiones, Sanctissimæ Trinitati, per manus MARIE offerendæ sunt; tum verò id suaverim faciendum, statim ac surgimus, & cum proximo dormituri sumus; Hoc vel simili modo.

Bern.

Pretiosissima Parens mea MARIA, Tibi ego omnes actiones meas, totius hujus aut (vespere, die noctis)

G. D. P. U. Z.
 G. D. P. U. Z.
 OPER: U.
 TOM: I
 N: V
 56

noctis) mensis, anni, Vitæ meæ præteritæ, præsen-
tis & futuræ commendo, easque Tuis Sanctissimis
manibus & meritis, & Gratiis, & donis exornan-
das, atque Sanctissimæ Trinitatis conspectui pro me
offerendas committo: quatenus enim a me sunt, in-
dignissima ejus conspectu sunt &c.

Qui ipse actus una cum unione operum no-
strorum cum meritis Christi depositioneque eo-
rum in manus tam Christi, quam Pretiosissimæ
Parentis repeti & conjungi potest sæpius in die
prohibitu, hæc vel simili formulâ:

In manus tuas Domine JESU, & in Tuas, Pre-
tiosissima Parens, commendo omnia opera mea: hoc
præsens opus meum; illudque utriusque vestrum ma-
nibus & toti in Mundo conversationi unio; ornan-
dumque, & Sanctissimæ Trinitati offerendum trado.
Vel hac aliâ:

Omnes actus meos mi JESU in vitâ, vulneribus,
& corde Tuo depono; ut in eo detenti sublimentur,
& sic digne Sanctissimæ Trinitati, Tuis, & Pretiosis-
simæ Parentis manibus offerantur &c.

INDUSTRIA XIII.

Actiones nostræ possunt locupletari per Ap-
propriationem bonorum, præcipue Christi,
Beatæ Virginis, & Sanctorum.

Ita res sunt conditæ à Deo omnium autore, ut
inter eas sit connexio quædam atque commu-
nicatio, quin & indigentia sui mutua, adeò, ut
bonum unius, sit bonum omnium, & bonum
omnium sit bonum unius. sicut vice versâ malum
unius, omnium malum est, malum omnium, ma-
lum est unius: ut ex hoc discant homines, nul-
lam

110.

lam rem, nullam personam odisse; discant nullus malis insultare, nullius bonis invidere, non solum sibi vivere natosque sese putare: item ut discant, bonis suis & perfectionibus suis, non solum sibi bono esse atque proficere, sed omnibus, malis suis & vitijs atque exitijs ac detrimentis, non solum sibi nocere atque perire, sed perire omnibus, & cum omnium damno: Item ut discant homines, non solos se curare, sed omnes; & sic pro se, ac pro omnibus, proque omnium bono sollicitos esse: sic pro omnibus proque bono omnium angere, ac pro suo proprio. Item ut discant homines ex alienis bonis eundem profectum capere, quem ex suis propriis, immo aliena bona non reputare aliena, sed propria sua, eaque tanquam propria amare, appetere, promovere, tueri, augere, iis confidere, & per ea sese Deo commendare.

III.

Quod quidem præ alijs, hæc Industria commendamus. docemus nempe, atque suademus Spiritualibus negotiatoribus, hanc quoque usurpandam ad profectum in spiritu, & meritis, & Charitate, rationem esse quæ fiat, per Appropriationem omnium bonorum alienorum, eorumque tanquam suorum propriorum, sibi vendicationem, & tanquam suorum Deo oblationem. Utenim jam dixi initio, res ita sunt connectæ omnes inter se, ut sint vinculo quodam naturalis Caritatis colligatæ: atque ita sunt omnes mutuò, atque vicissim suæ & alienæ.

Accedit quòd Deus peculiari ratione omnia hominibus in ministerium & subjectionem dedit. *omnia enim*, ait Psal. 88. *subjecisti sub pedibus ejus*

aves & hoves, &c. adeò, ut etiam ipsi *Angeli mis-*
si sint in ministerium hominum. Hebr. 1. 14.

Præterea ratione Christi Domini, qui cum sit
 Dominus omnium, & simul caput hominum,
 donatus à Deo etiam hominibus, teste Paulo;
 inde sequitur, ut omnia sint nostra, nos Christi,
 Christus Dei; sequitur, ut qui nobis donavit
 Christum, donaverit etiam omnia nobiscum illo.
 Igitur cum ita sint omnia nostra, & nos omnium,
 sequitur, quòd possimus nos nobis appropriare
 aliena bona tanquam nostra, & alius nostra do-
 nare, tanquam eorum, absque ullo detrimento
 partium.

112.

Ergo Negotiator Spiritu-
 alis familiare sibi fa-
 ciet hoc exercitium, appropriandi sibi, omnes om-
 nium creaturarum Essentias, proprietates, bo-
 nitates, perfectiones, operationes, tam natura-
 les, quàm morales, bonas in entitate. Item ex-
 erciti-um appropriandi sibi omnes omnium crea-
 turarum justarum atque sanctarum actiones, tam
 viventium, quàm jam mortuorum atque cum
 Deo regnantium hominum, Angelorumque ip-
 sorum. Item exerciti-um appropriandi sibi me-
 rita & dona omnia, actionesque ac Virtutes, Pre-
 tiosissimæ Parentis MARIÆ. Denique Exerci-
 tium appropriandi sibi Christum Dominum, cum
 omnibus opulentiis ejus. Vix enim ulla res est
 æquè nostra ac Christus Dominus nostra, inquam
 nobisque donata, nata, impensa, appropriata,
 quod probare hujus loci non est, etsi res suavis-
 simæ Meditationis materiam contineat: maxime
 si quis contempletur mysterium Sacrificii, Sacra-
 menti & Passionis, thesaurorumque Christi:
 proinde vix ullam rem justius, confidentiùs, uti-
 liùs,

liùs, honorificentius, potest homo sibi appropriare, per eamque ditescere, atque per hanc JESU Christi Domini meritorum, thesaurorum, gratiarum, Virtutum, actionum; passionum, substantiarum appropriationem, usurpationem & possessionem. Ut hoc exercitium jure optimo debeat esse amatoribus lucri Spiritualis commendatissimum; mirumque sit valdè, quòd non sit usurpatissimum, cum præsertim hoc unum maximè Christus ipse desideret, nullàque ex re majorem vel ipse capiat Voluptatem, vel nos percipere velit utilitatem, & nulla nos ratione melius ac dignius fructum ex se capere posse ac debere existimet, quam per hanc, de quâ loquor, sui à nobis appropriationem, & cum eo sic nobis appropriato, omnium nostrarum actionum atque passionum, in divinum conspectum productionem, earumque gustui Divino oblationem.

Cui namque dubium, Deo, qui *nihil odit eorum quæ fecit* (ut ait Scriptura) actiones nostras longè gratiores reddi consortio actionum Christi, ac meritorum & Gratiarum; itemque consortio meritorum Pretiosissimæ Parentis, Angelorum, Sanctorumque omnium; item consortio actionum & bonorum omnium creatorum, quàm sunt, vel essent, ipsæ per se, cum solâ habituali unione cum Christo capite. Multò namque est efficacius illud consortium actuale, quàm habituale. ac proinde ex eo dignitatis atque efficacitæ & valoris in opera profluit amplius.

113.

Quòd cum ita sit, consultum existimo uno cuilibet Spirituali, uti hac appropriatione bonorum omnium, quæcunque in cæteris rebus reperiantur, eorumque cum suis conjunctione, & suorum

suorum per illa in Dei conspectu dignificatione, ex-
ornatione & locupletatione. Quæ quidem variè
fieri in praxi potest. Nam vel possumus hanc ap-
propriationem facere in genere & confusè, omni-
um scilicet bonorum, in creaturis existentium
quocunque modo, vel possumus facere in specie,
bonorum scilicet omnium moralium, vel pos-
sumus, certarum tantummodo rerum, v. g. tan-
tùm certorum Sanctorum hominum, tantùm san-
ctorum hominum sed omnium, tantùm Angelo-
rum & Beatorum Spirituum Ordinum, tantùm
Pretiosissimæ Parentis MARIÆ, tantùm JESU
Christi; vel possumus facere appretiationem o-
mnium istorum simul &c. Et quidem, aliquando
omnium simul, aliquando aliquorum, aliquan-
do horum, aliquando illorum, prout devotio
vel occasio poscet, ac animus volet. Appono
hujus rei paradigma aliquod, cujus ad instar ad-
ditis vel ademptis aliquibus, poterit quisque simi-
le pro semetipso conficere,

*Praxis appropriandi sibi omnia Bona creata,
Deoque illa ad gustum offerendi.*

DEUS cui soli humana corda loquuntur, & qui
solus gratis salvare nos vis, potes, soles, debes, Ego
N. pauperula creatura tua, omnium tuarum qua-
rumcunque, imprimis autem rationalium Creatura-
rum, usque ad Angelos, usque ad Pretiosissimam Pa-
rentem Virginem MARIAM, usque ad Sacrosan-
ctam JESU Christi humanitatem procedendo, omnes
in genere, specie, numero, Tibi quocunque modo pla-
citas, aut in omnem aternitatem placituras, actiones,
passiones, potentias, entitates, perfectiones, mihi nunc

ex

114

ex dono Gratiae Tuae, ex beneplacito Voluntatis Tuae, voluntariè & deliberatè assumo, approprio, atque ad purum & nudum gustum Dignissima suavitatis & suavissima Dignitatis tuae offero; illisque meas etiam pauperculas, actiones, passionis, ac entitates omnes conjungo: & tam pro hoc presenti momento, quam pro tota vita meâ reliquâ, quam pro mortis articulo, quam denique pro toto aeternitatis decursu, illas omnes cum hoc appropriationis actu habere intendo, Tuæque summæ Majestati, quantum digna est, substerno, substernereque in aeternum, & ultra volo, Tibi DEO meo, sit honor ab omni & pro omni creaturâ creaturaeque atomo, in secula seculorum. Amen.

115.

Ufus istius Appropriationis, esse varius poterit apud virum spiritualem. Nam sive voluerit se ipsum ditare, sive actiones suas, passionisque digniores apud Deum facere; sive Caritatis actum in Deum, vel in proximum, vel in omnem creaturam elicere; sive negligentias, imperfectiones, defectusque suos volet supplere; sive paupertatem suam agnoscere atque confiteri; sive spem in Christi & Sanctorum meritis collocare; sive aliquem Sanctorum speciali cultu colere; ad id omne, & ad plurima similia, hoc appropriationis Exercitium plurimum poterit, spiritualem hominem adjuvare, ejusque conatus apud Deum gratiores facere. Insuper & illud observandum est, hanc appropriationem creaturarum omnium ad sese ab homine spirituali utiliùs fieri posse, atque sanctiùs, si omnes creaturas, omniaque bona illarum naturalia, supernaturalia, ornet imbuatque meritis Jesu Christi, eaque sic ornata & veluti ditata, dignificata, atque

que in fontibus Salvatoris tineta, sibi appropriet,
& appropriata, Trinitati Sanctissimæ secum &
ipse offerat, &c.

INDUSTRIA XIV.

*Possumus Spiritualiter ditari ex Actionibus
atque Passionibus alioquin inutilibus futuris,
tam ex nostris quam ex alienis.*

SEquens Industria vicina est præcedenti, &
quodammodo particula illius. Est autem
in hoc posita, ut Spiritualis homo, crescat in
Spiritu & meritis, & in Gratiâ apud Deum per
nostra & aliena bona, & quidem in specie per
illa quæ sunt nobis & aliis alioqui mutilia, cujus-
modi sunt v. g. actus Beatorum omnium præte-
riti, præsentis, futuri. item actus omnes boni ex
se, & per accidens mali. item actus boni eorum,
qui sunt in statu peccati, actus quoque naturales,
indifferentes, otiosi, & in finem bonum superna-
turalem non directi. Cujusmodi actiones atque
passiones plurimæ sunt, non tantum in omnibus
creaturis, sed etiam in unaquaque creaturâ indi-
viduâ, & in unoquoque nostrum.

116.

Ex quibus omnibus vir Spiritualis & bonus
Negotiator, si sapit, fructum capere potest, ap-
propriando eos sibi, & in finem supernaturalem,
Caritatis, Dignificationis & gustûs DEI, illos
sublimando atque dirigendo, & unâ cum suis pro
se vel pro aliis Divinæ Majestati offerendo, con-
secrando, suos defectus supplendo, Caritatem
suam, liberalitatem in Deum per hunc modum
contestando, nihil à Dei laude, atque beneplaci-

1012-

to vacuum esse pro suâ parte sinendo & curando, aliarum creaturarum (sicut & proprios) defectus, negligentias, inadvertentias, omissiones supplendo. Quod fieri poterit hac vel simili praxi.

117.

Domine DEUS meus, qui omnia opera nostra operaris in nobis; operaris autem propter gloriam tuam, & propter bonum nostrum, neque quidquam in nobis a nobis otiosum esse vis: omnes actiones, omnesque passiones meas, Angelorum, Beatorum, & omnium entium creatorum quocunque modo, te Domino Deo nostro dignas, ipsis autem creaturis ceteroqui vel neglectas, vel inutiles, vel non necessarias, ego videns & agnoscens paupertatem meam, & simul nusquam exulare cupiens Gloriam Tuam utilitatemque nostram; has omnes tam meas, quam omnium creaturarum actiones atque passiones, etiam atomicè computatas, Tibi Deo meo presento, honori, gloriaeque Tuae consecro, pro meo (& pro omnium Creaturarum capacium) bono temporali & spirituali hujus & alterius vitæ offero, iisque omnes defectuositates meas, (& earum) qualescunque supplere cupio & intendo, in unione meritorum Jesu Christi, atque Pretiosissimæ Parentis, & Sanctorum omnium: idque facio semel pro semper & pro omni æternitate, ad purum gustum Tuum o Sanctissima Trinitas, Deus meus. Amen.

Ulus Industriæ istius, quos in fines adhiberi à nobis possit, jam ex prædictis patet. Ad quorum normam facile erit, & fines, & fructus plures cuilibet designare. Unum tantum in præsentem monuerim: bonum fore, si statis in diem vel saltem hebdomadam vicibus, istiusmodi alienorum sive propriorum (alias inutilium

rum ad merendum futurorum) actuum passio-
numque oblationem faciat, quisquis per hanc
Industriam crescere desiderabit.

INDUSTRIA XV.

*Possimus nos communicare cum Creaturis,
& transformare in eas: ac pro eis Deum
collaudare.*

UTILIS est & illa ad pietatem promovendam,
ad liberalitatem in Deum exercendam, ad
Deum in Creaturis & pro Creaturis laudandum
ad dilatandam propriam in Deum & Creaturas
affectionem, & ad alios insuper pios fines con-
sequendos; Industria communicationis. Quâ
scilicet homo communicat cum omni creaturâ,
& se quasi in illam transformat, omnemque crea-
turæ substantiam, potentiam, actionem, passio-
nem, (exceptis peccaminosis) circumstantiam,
capacitatem, suam quodammodo facit, & suppo-
nit: & ita in omnes transformatus, omnisque
effectus, omnium vice, cum omnibus, pro omni-
bus, omnes in se & per se, & vicissim se in omni-
bus ac per omnes, summo Sanctissimæ Trinitatis
honi, honori, cultui, æstimationi, resignatio-
ni, fruitioni, consecrat, exercet, donat, dedi-
cat, sacrificat, holocaustificat: ut hac ratione,
quomodo, quod in se est, faciat Deo ex omnibus
creaturæ entibus, potentiis, actionibus, passioni-
bus, circumstantiis, capacitatibus, atomis, lau-
dem omnem debitam sibi, dignam ipso, Crea-
turæ possibilem. Cujus Industriæ hæc esse praxis
poterit, vel illi similis.

*Mi DEUS, volo me omnem creaturam esse, om-
nem*

118.

118.

minem cuiusvis Creaturae notitiam, potentiam, a-
 ctum, passionem, affectum, circumstantiam, capa-
 citatem, atomum meam esse, & re ipsa quoad pos-
 sum plenam Voluntate, meam, & me illam, & illam
 vicissim me facio: omnesque illas in unum me com-
 plector, & sic me in omnibus, omnes in me, pro me:
 pro omnibus, in tuum summe plenum, plene summum,
 omnimodo tibi debitum, creaturaeque possibilem, a-
 morem, cultum, dignificationem, voluntatis Tuae,
 omnem gustum atque expletionem per omnes atomos
 & momenta, per omnes naturae Gratiaque ordines
 & gradus, exerceo, expendo, exhaurio, do, dono,
 dedico, offero, sacrifico, holocaustifico, annibilo, se-
 mel pro semper, & pro omni aeternitate, in unione
 meritorum JESU Christi, & Pretiosissima ejus Pa-
 rentis, Sanctorumque omnium. Amen.

Vim, fructum, usum Industriae hujus com-
 mendare intelligentibus Dei sensum, nihil atinet:
 unctio enim Dei sola, omnium persuasionum &
 persuasorum loco est. Et talium sensus non ex
 persuasibilibus ac d'ctis Humanæ Sapientiae ver-
 bis discitur, juxta illud Christi Domini Joan. 7.
*Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscat de
 doctrinâ meâ, utrum ex Deo sit.* Quæ verba in o-
 mnibus tam præmissis quam secuturis Industrias,
 immò in omni vitâ spirituali locum habent.

INDUSTRIA XVI.

*Possumus in meritis crescere, defectus divinæ
 Laudis, in, & pro omnibus Creaturis
 supplendo.*

119. **N**emo dubitat, à Creaturis omnibus, quan-
 tumlibet Dei Gloriam condita sint, immò quan-

quantumlibet etiam in Dei laudem Sponte suâ
 pleræque earum conversæ sint; plurima tamen
 omitti ac negligi, ac imperfectius committi,
 quam dignum sit, illâ Dei laudabilitate, quæ
 Deo inest, & quam exigit illud debitum, quod
 omni creaturæ ad Deum exaltandum incumbit.
 Atque hæc in Deo laudando imperfectio, ac de-
 fectuositas, non tantum provenit ex immensi-
 tate laudabilitatis Dei, nec tantum ex limitatio-
 ne substantiæ ac facilitatis cujusvis creaturæ, sed
 etiam ex incapacitate vel naturæ, ut in irratio-
 nalibus, vel statûs, ut in damnatis, & insuper
 etiam ex ignorantia, negligentia, fragilitate, inad-
 vertentiâ, ut in hominibus adhuc in hâc vitâ, de-
 gentibus.

Ex quo sequitur, nulli quoque dubium esse
 debere, quin Deus quotidie innumera patiatur
 detrimenta laudis suæ, ex quibus corda aman-
 tum Deum, non possunt non cruciari. Et quia
 homo ita conditus est, ut pro omnibus irratio-
 nalibus creaturis, Deum agnoscat, amet, & lau-
 det, ob idque à creaturis obsequium & subje-
 ctionem servilem ac jumentalem habeat; rur-
 sumque ita omnis homo conditus est, ut cum
 omni creatura, ac præcipuè cum rationali, sit
 quadam Caritate & communiione conjunctus;
 ut bona Creaturarum omnium; sint bona
 eius, & damna omnium sint damna uniuscu-
 juslibet, & debita omnium sint debita uniuscu-
 jusque, & negligentia atque culpæ; & ab offi-
 cio defectiones omnium sint uniuscujusque par-
 ticularis; perinde, ac in corpore humano vide-
 mus accidere; inde efficitur unumquemque
 omnem debere sollicitum esse proinde pro

120.

omnibus creaturis, atque pro seipso uno, ne desint officio suo in laudando Deo: quod si desint ob aliquam prædictarum causarum, tum consequens est incumbere homini cuilibet particulari ex Caritate communi, & ex prædictis rationibus atque obligationibus officium & conatum, supplendi omnes omnium Creaturarum in Deo laudando, amando, colendo, adorando, timendo, appetendo, appretiando, imitando, gratiarum actionibus recolendo &c. negligentias, ex quâcunque causâ provenientes. Idq; tum, ut Deus saltem in aliqua creaturarum habeat quoad fieri potest, plenam laudem suam, tum ut omnis creaturarum populus in multis à debito Deum laudandi deficiens, saltem in quâpiam sui parte; in aliquo, inquam, (vel aliquibus) suo individuo, impendat Deo laudem quam debet, ea plenitudine & integritate, qua debet, juxta fragilis creaturæ possibilitatem.

121.

In quo genere quia primas duxit & ducit Sanctissima Christi humanitas, postea Pretiosissima Parens MARIA, tum beati, jam in Cælo regnantes ducunt: ex parte quoque Justi in hac vita degentes, potissimum excellentes Sancti, etiam hoc ipso officio funguntur: ideo illis creaturæ omnes, plurimum debent: sicut è contra damnati, Dæmones atque homines, & in peccatis hærentes, plurimum malitiosi in omnem creaturam sunt, ideoque etiam exosi omnibus creaturis meritò sunt. Justi igitur viri, non tantum possunt, sed etiam debent (juxta jam dicta) hac Industria uti, ut Deum omnium Dominum & summum summèque bonum laudent pro omni reliqua creaturâ; atque defectus omnium aliarum

nam creaturarum, quos committunt in Dei laude, committunt, inquam, siue perpetratiōe actuum Deo displicitorum, siue omisiōe actuum Deo placitorum, siue bonorum actuum imperfectione multiplici, ipsi suis actibus, & conatibus, & perfectionibus actualibus, tum totius vitæ suæ reliquæ, tum præcipuè ex proposito ad hunc supplendi finem actis, Deoque pro Creaturâ omni oblatis, supplere atque lacunas omnes, & vales ad implere.

Atque ex hoc fonte, Sancti viri (ut exempla tam Sacrarum Scripturarum, quàm alia satis docent,) Deum non tantum pro se privatim, sed pro omni & simul cum omni omnino creaturâ, laudare, benedicere, magnificare, timere, adorare, & quovis alio venerationis officio profecti sunt soliti, ut videre est in tot psalmis, canticis, orationibusque Sanctorum virorum. Quare quisquis veritatis hujus jam expositæ vim agnoscit, & huic obligationi studiosè ac piè satisfacere volet, hanc Industriâ utatur. 1. Ut se creaturam, & omnibus aliis Creaturis, communiōne connexum agnoscat. 2. Ut agnoscat se in Dei laudem plenam cum omnibus creaturis conditum. 3. Ut agnoscat, à se & ab aliis plurimâ negligi in Dei laudè si v. g. adverterit ad damnatos, ad gentiles, ad Hæreticos, ad peccatores, ad rudes, ad infantes, ad tot negligentes & tepidos, ad tot irracionales, & usu rationis destitutos, ad tot etiam Sanctissimos quandoque deficientes, oriantes, distractos, dormientes &c. 4. Ut agnoscat se obligari quodammodo ad creaturam Dei laudum defectus supplendos. 5. Ut defectus suppleat re ipsâ, raptus Caritate Dei,

& Caritate creaturarum omnium, Deo ita obligatarum, & non satisficientium: suppleat verò actibus & passionibus, quibus maximè & commodissimè poterit, extendendo eos ad omnes creaturas, & earum obligationes extendendo ad intensiones Heroicas, & tales; quæ omnium creaturarum conatum & debitum exequent, ornando eas & imbuendo humiliatione sui meritis JESU Christi, gratiis Præciosissimæ Parentis & Sanctorum, omnibus miserationibus divinis &c. hac vel simili Praxi.

123.

Agnosco DEUS meus, infinite, plurima in laude Tui, Tibi à me & ab omnibus creaturis debita, deperire, malitiâ, ignorantia, fragilitate, imprudentia, defectuositate nostrâ. Cupio mi DEVS sup-
plere, & re ipsâ quoad possum; suppleo defectus istos omnes nostros, Amore tui, estimatione, & dignificatione presenti actuali, quâ te Deum nostrum, omne bonum nostrum Amo & superamo, dignifico, & superdignifico, adoro & superadoro, cupio & supercupio, laudo & superlaudo secundum totam Amabilitatem tuam at amativitatem nostram, secundum totam Dignificabilitatem tuam, & dignificativitatem nostram secundum totam adorabilitatem Tuam & adorativitatem nostram, secundum totam concupiscibilitatem tuam, & concupiscitivitatem nostram, secundum totam Laudabilitatem tuam, & laudativitatem nostram, secundum omne quod debetur & quod debemus Tibi, possibileque est nobis, & tu dignus es: ut ita Tibi Deo meo, & nostro, sit Laus plena, sit gloria perfecta, sit exaltatio pro nostro pro maiori quàm unquam fervore, atomice, & in sanguinis, meritorum, conversationis JESU Chri-

*Pretiosissimæ Parentis, Beatorumque omnium,
Amen.*

Hujus Praxis aliquas voces, Inferiores In-
dustria explicabunt. Nunc tantum addo, utilem
esse hanc jam explicatam Industriam, & in praxi
saltem quolibet vesperi usurpandam. Aptissimum
etiam esse SS. Missæ Sacrificium ad hunc supplen-
di usum, nemo dubitare debet. Suaderem etiam
viris Spiritualibus, ut familiare sibi hoc Deum
laudandi, amandi, adorandi, timendi &c. tam
pro se, quàm pro omnibus creaturis etiam indi-
viduis facerent, itemque tam suos, quàm earum
defectus quoscunque, actibus suis supplendi
(in qua re, nullâ fatigatione opus est) aut etiam
passionibus quarumcunque potentiarum animi
& corporis, Rationalis & superioris Voluntatis,
et actibus, Jesuque Christi meritis imbuendo,
& dignificando, atque intendendo.

124.

Hujus jam explicatæ Industriæ inter alios hic
& fructus & finis erit; quòd hac suppletionem
hujus suppletionis conatu, homo spiritualis
per meritis ditabit animam suam apud Deum,
etque gradibus augebit Caritatem &c. suam,
et quot creaturarum, quotque defectus ac omisso-
res & imperfectiones supplebit. quod quidem,
nemo est, qui non videat esse longè maximum
etque copiosissimum.

125.

Hæc Industria duplici à nobis Spiritu & offi-
cio exerceri potest. Aliquando enim possumus
supplere pro omnibus creaturistantum ex de-
bitum pro eis, & per respectum communitatis,
quam cum eis habemus: aliquando vero non
per respectum debiti earum, sed tantummodo pro
eis & cum eis in earum personâ, earum affectu,

126.

H 2

cum

cum earum comitatu, nihil attendendo ad hoc, quod illæ debeant, quod negligant &c.

127.

Similiter hæc Industria potest variè fieri, pro varietate Specificorum debitorum in Creaturis existentium. multa enim debita cum sint in Creaturis erga Deum, in multis etiam possunt deficere, & in multis pro eis possunt supplere. Debent creaturæ v. g. amorem, laudem, adorationem, gratitudinem, sacrificium, desiderium, satisfactionem, admirationem &c. omnia ista debita homo spiritualis pro creaturis potest debetque supplere, nunc simul omnia, nunc distinctè singula, nunc hæc, nunc illa. Potest autem hæc suppletio fieri non tantum operibus ex proposito ad hanc suppletionem inventis, sed etiam quotidianis ac solitis, dumtaxat in hunc finem supplendi directis & ordinatis: quod ideo notavi, ne quis gravius id esse putet, quam revera est. Oratione quotidianâ, Sacro, Horarum Canonicis, mortificatione corporis consuetâ, potest hoc supplementum fieri. Quo quis actu quasi pro se Deum amat, laudat, adorat; quo actu pro suis propriis gratias, gratias agit Deo; eodem actu, eadem passione potest facere satis, agere gratias, adorare Deum, & pro omnibus Creaturis id debentibus, id negligentibus, præstare Deo, dummodo extensio fiat per actum

Voluntatis, quo nihil facilius
& citius absolvi
potest.

INDU

INDUSTRIA XVII.

Ratio crescendi in bonis Spiritualibus, per dilatationem extensionemque desideriorum, sive alterius generis actuum, ad plures & plures actus, vel ad plura & plura objecta, aliter aliterque multiplicata.

Sapientissimæ Dei bonitatis, erga hominum (electorum præsertim suorum) commodum, effusa nimis propensio, satis gnara, quàm angusta sit virium humanarum efficacia; hoc illis veluti quoddam compendium (si modò in bonum uti velint) providit, ut volitiones, desideria, ceterosq; Voluntatis suæ actus, extendere in immensam quandam latitudinem, altitudinem, longitudinē, profunditatē, multiplicatē, seu innumerabilem numerum possint. Quâ extensione haberent, non tantum meritorum & donorum Dei sibi accumulandorum facultatem, verum etiam in hac ipsâ accumulandi facultate, gauderent subtractam sibi laboris difficultatem. Etenim non facilem hominibus indidit, desideria sua dilatandi potestatem, quantam & ipsa simpliciter desideria sua eliciendi facultatem.

Ea propter desiderii humano, sive potius Voluntatis humanæ in volendo ac desiderando hæc est felicitas, uti & possit in immensum extendi, & extensionis ejus conatus, quantumlibet versetur circa objecta, viribus captuque hominis superiora ac majora; possit nihilominus esse Deo gratus & homini magnopere meritorius. Atque inde confurgit præsentis Industriæ doctrina, scilicet de ratione crescendi in

(4.) genere, (5.) specie, (6.) numero distincti, (7.) intensi per gradus plures & plures, quorum intensio capax sit, (8.) extensi per subjecta, (9.) & tempora, (10.) & æternitates, repetiti autem & replicati intentione voluntatis, (11.) per subjecta, & per (12.) loca seu spatia, (13.) & per tempora, (14.) & per objecta, (15.) & per subjectorum, locorum, temporum, objectorum omnium atomos, instantia, momenta, indivisibilia, (16.) absolute, (17.) vel conditionate ac optative, (18.) in majori & majori proportionem extensionis, (19.) fervorisque, (20.) denique omnimode & omnipossibiliter, dummodo digne Deo.

Uterque hic explicandi modus, idem omnino dicit & docet sed aliter. meâ tamen sententiâ posterior est facilior; ob quod etiam in eo exemplum præsentis Industriæ propono. Tendat ergo desiderii actus supernaturalis in Sanctissimam Trinitatem, unum & verum Deum, hac vel simili ratione, omnia 20. prædicta capita complectente.

O Sanctissima Trinitas, desidero te Deum, & summum, & omne, & solum bonum meum, desideris omnibus meis, quæcunque ego juxta omne placitum tuum elicere totâ substantiæ meæ, totalis & partialis capacitate possum tam in genere quàm in specie, quàm in numero desideriorum. Neque solum te bis desideris meis desidero, sed etiam omnium omnino singulariumque creaturarum etiam possibilium, omnibus genere, specie, numero, possibilitate distinctis desideris, præcipue verò omnium Sanctorum, tum hominum, tum Angelorum, tum Pretiosissimæ Parentis, tum Sanctissimæ IESU Christi Human-

H 5

mani-

131.

manitatis, omnibus absolutim erga te Sanctissimam
 Trinitatem, desideris praeeritis, praesentibus futu-
 ris, idque in omni istorum omnium desideriorum in-
 tensione, in omnibus intensiois gradibus, ab omni
 & singula creatura etiam atomice sumpta, & etiam
 ab ipsa Pretiosissima Parente, JESUque Christi hu-
 manitate elici possibilibus, tanquam actu, defacto,
 in praesenti, nunc, pro omni temporis momento, se-
 mel pro semper elicitis, in millies-millies infinities ma-
 jori, possibili, omnimoda proportione. Neque so-
 lum in intensione sed etiam extensione desideriorum
 omnium, & singulorum, extensione, inquam, per
 omnia & singula subiecta desideriorum istorum, per-
 que atomos & indivisibilia spiritualia & corporalia,
 tum vero extensione ad omnia loca & spatia, etiam
 imaginaria, ad circumstantias & atomos, spatio-
 rum, locorum, temporum, reliquarumque circum-
 stantiarum Deo possibilem. Extensione quoque ad
 omnia tempora & ad omnia omnium temporum in-
 stantia, ad omnia quoque momenta aeternitatis tam
 ante, quam post. Praeterea intentione, & motivo,
 & objecto, & ratione desiderationis, omni quidem,
 possibili tibi Deo meo atque complacita, sed nomina-
 tim illa omni, propter quam tu o Sanctissima Trini-
 tas, es desiderabilis & desideranda in te, & per quam
 nos sumus, aut esse quovis recto modo possumus desi-
 derativi tui & desiderantes te; sive illa ratio ac in-
 tensiois motio, sit quidpiam ad intra in te, & ipse
 Tu, sive sit aut esse possit aliquid ad extra, diversum
 a te sed tamen profectum a Te. Et cupio hunc actum,
 & a me, & ab omni eo, quodcumque Tu non es, mibi
 Voluntate Caritatis meae insubstantiato in omni ato-
 mo sui, & in omni circumstantia spectato, replica-
 ri & repeti; immo, quantum in me, replico, repe-
 to,

Opus
 Sicuti
 Operi
 Tom: I
 N: V
 56

to, & repeti gaudeo mibique ex hoc propter te com-
placeo, omnipossibiliter, in singula per omnem eter-
nitatem momenta, tantum, quantum tu o Trinitas
DEUS, & nos omnes creatura tua, desiderare vo-
lumus, debemus, possumus, quia tu dignus es, &
quia nos debemus, & quia nos adjuvante, immo
dante & faciente te nobiscum, ac per nos, possumus.
Communicando hunc actum, imprimis JESU Christi
Domini ac Redemptoris nostri omnibus meritis &
gratis, unaque Pretiosissimæ Parentis ac SS. omni-
um, ad Christum JESUM, Incarnatam & Increa-
tam Sapientiam, Verbam, Filium DEI, tanquam ad
caput pertinentium intercessionibus. Deinde uni-
versæ Divinitatis tuæ Bonitati, & Bonitatis Divi-
nitati, atque Dignissimæ & substantialissimæ Digni-
tati. Ad gloriam omnimodam, & omnipossibilem,
& omniparem, Patris æterni Ingeniti, Verbi, filii
unigeniti & Incarnati, & Spiritus Sancti ex Pa-
tre Filioque procedentis, ab omni æternitate, & in
omnem æternitatem, & ultra.

Hæc praxis potest pro arbitrio contrahi, ni-
mirum non omnia 20. capita, sed aliqua eorum
plura vel pauciora complectendo, hoc vel simili
modo.

Sanctissima Trinitas DEUS meus, cupio te ama-
ri & amatum fuisse ac fore, per omnia omnium tem-
porum æternitatumque instantia, à me & ab omni
creaturâ, creaturæque portione, & atomo & mo-
mento.

Vellem Domine DEUS meus in te toties per o-
mnia singulaque momenta & indivisibilia mea, amo-
re digno te, debitoque tibi à me succendi, quoties ab
intrinsico vel ab extrinsicco, qualibet mobilia, cor-
poralia, & spiritualia, mota sunt, moventur, mo-
vebun-

vebunturque, per omnem durationem, perque omnia instantia durationis eorum. Quoties Domine moventur folia & rami in arboribus, herbe & gramina in campis, segetes in agris, animalia in terris, aëre & aquis, vitalia in animalibus, gutta aquarum in stuviis, lacubus, fontibus, & mari, & nubibus, Meteora quælibet in aëre, sensationes in cognoscentibus, Intellectiones & volitiones, in Angelis & hominibus: toties ego te Domine, pro me & pro omnibus creaturis amo & superamo, superque amare volo, propono, peto, in æternum.

Quidquid Domine inerat, inest, inerit, inesse possibile fuit ac erit unquam intensiois ac fervoris, in omnibus qualitatibus actibusque Creaturarum omnium, naturalibus juxta & supernaturalibus; totum hoc intentionis istius conglobamentum, cupio, & quantum possum ac tu donas, facio inesse omni actui vitæ meæ; nominatim verò huic præsentis meo actui, quo te o Trinitas Deus, o Incarnatum pro me Verbum, Credo, spero, amo, adoro, veneror, timeo, desidero, laudo, magnifico, gratias ago, summe summum bonum meum appeto, de omnibus bonis tuis tibi gratulor, gaudeo, complaceo, &c.

Domine pro omnibus & singulis granis & atomis terræ, aquæ, aëris, ignis, luminis, cæli, reliquarumque creaturarum in his contentarum, te dignifico, te laudo, te timeo, te spero, te adoro, te amo; toties replicando actuali voluntate meâ, hos omnes & similes affectus atque actus in te, quot sunt, esse possunt prædicta grana, prædictique atomi,

Sanctissima Trinitas, istis omnibus actibus affectibusque, quos hac die aut horâ, hocque in loco, tempore, & occasione, vel quâvis aliâ præteritâ, præsentis, ac futurâ in te eliciunt ac elicient, sub quacunque

G. B. U. R.
S. C. C. I.
OP. U. S.
T. O. M. I.
N. O. V.
56

inque piâ motione, adinventione, industriâ, formalitate, circumstantiâ, omnes creaturae tuae, omnes pii & boni servi tui, omnes praedestinati, omnes triumphans & militans Catholica Ecclesia: afficior ego quoque pauperculus vermibus in te: gratulando illos tibi, offerendo, infinities volendo, & repetitos perfectiores ac plures esse cupiendo, de illis & per illos tibi congaudendo, propterque illos, omnes auctores eorum amando, honorando & appetiando.

Quidquid est Domine aut fuit, aut erit, aut esse possibile est unquam & usquam vilitatum ac humiliationum Naturalium & Voluntatarium, supernaturaliumque: iis omnibus ego mi Deus, coram te & propter te & tibi, humilio & vilifico me, meamque totaliter substantiam: ita ut atomos in se non sit ullus, non sit motus animi mei ullus, qui non sit coram te, propter te, & tibi, omnipossibiliter humiliatus & vilificatus. Humilio me Domine, humilitate Jesu Christi; Dei-Hominis, Domini mei. Humilio me Humilitate Pretiosissimae PARENTIS, Angelorum, Sanctorumque omnium; humilitate totius Ecclesiae, humilitate omnium hominum, omnium creaturarum reprobarum & damnatarum, humilitate omnium verum in caelo & sub caelo, in terra & intra terram existentium; Humilitate vilitatum, sordium, faecium, sentinarum, putredinum, corruptionum, purgamentorum, excretionum omnium; humilitate denique omnis ac totius nihili: ita ut his omnibus humilitatibus ac vilitatibus, instar spongiae penetrer undique, instar piscis innatam in iis totus, instar volucris volutem & volitem circumdatus, ut denique totus per omnia, in corpore & animâ, omnique substantiâ, capacitate, motu, atomo, instanti, horum omnium non solum humilis aut vilis, sed ipsissima humilitas, vilitas,

vilitas, abjectio, contemptus & contemptibilitas, confusio & odiositas efficiar. Tibi Deo meo ad gustum, mihi autem ad debitum omnimode explendum & exequandum, ut quantum tu dignus es, tantum ego vilis sum in aeternum, exclusâ solâ in tuam Domine Bonitatem & Voluntatem & Dignitatem, peccati malignitate & indignitate.

Sufficient hæc exempla: ad instar quorum facile erit cuique amatori talium efformare alia innumera. Nullus enim est pene hominis motus, aut actus sensuum internorum, externorum, potentiarumque rationalium, ex quorum objectis & aliis circumstantiis, non possit Negotiator Spiritualis, actus suos facundare, & merita sibi cumulare.

Conjecisti fortè oculos in agròs, prata, hortos, arbores viridantes? omnem illum virorem, subjectaque ejus & atomos, motusque subjectorum, tuum fac, proque eo Deum ama, lauda, nosce, time, gusta, ei te subijce, redde, pro omnibus debitum gratiarum & laudum solve, & unus oculorum jactus ingentem tibi meritorum messem suppeditabit.

Cogitas omnium fidelium pios in Deum motus, religiosorum preces, cantus, pia exercitia, mortificationes, Ecclesiae Orationes, sacrificia, vota, labores? omnia fac tua: offer omnia Deo: offer te in omnibus, & per omnia, & pro omnibus, Deo: gratulare, gaude, velis, complace Deo. Audis sonos, strepitus, voces quarumvis rerum? omnibus his Deum lauda. Si cantent volucres; si coaxent ranæ; si pipiant pulli; si baubent culices; aut muscæ, aut bruchi; si balent oves; si latrent canes; si grunniant por-

ei; si

ci; si mugiant boves; si loquantur homines; si nimbi, grandines, tonitrua, tempestates insonent; si voces instrumentaque Musicorum, vel aliorum artificium personet; his omnibus ô Homo, Deum nosce, ama, canta, spera, lauda, crede, time.

Vides densissimas pluvias, grandines, nives, aut ingentes arenæ cumulos? pro omnibus guttis & granis Deum ama, in Deum exarsua, timore ejus concutere.

Audis tot hominum millia, Martyrio olim, vel bello, vel fame, vel aliter extincta? omnium morte cupias laudatum esse Deum, cupias te toties mori Dei causâ.

Vides ingentia volumina? instructas libris bibliothecas? lauda, adora Deum, ama, time, exarsua, omnibus ingeniis, omnibus operis, omnibus libris, foliis, lineis, verbis, syllabis, literis, quæ inibi, & quot, continentur.

Vides civitates, populos, regna, exercitus, res omnis generis, naturâ, arte, ad usum, splendorem, delicias hominum, factas? pro omnibus, cum omnibus, omnibus, Deo amorem, laudem, honorem, spem, timorem, gratias exhibe: Deum orna, gusta, &c.

Denique ut finem faciam; juxta hanc Industriam magis in Dei laudes efferri, plura coacervare in dies, & horas, momenta, potes merita, quam ut complecti animo possis. Ita nimirum capacem nobis providit bonorum meritorumque caelestium Deus naturam, ut, modò velit, capacior esse semetipsâ possit, tantùmque capiat, quantum quòd capiat, capere ipsa non valeat.

INDU-

INDUSTRIA XVIII.

*Possimus Operum nostrorum valorem, per
vota iis præmissa augmentare.*

INter alias rationes, quibus opera nostra effici solent apud Deum, majoris atque fecundioris tum meriti, tum ad impetrandum & satisfaciendum ponderis, est, si fiat aliquod opus ex voto, & ex obligatione voti. (quo loco etiam adjungo juramentum: licet votum præstet juramento, teste D. Thomâ 2. 2dæ. Q. a.) Constat enim, hac obligatione, mirificè opera nostra Divinæ Majestati commendari, atque, quod consequens est, efficaciam majoris apud Deum reddi solere. Hæc igitur Industria præsens, docet hoc, ut ad majus meritum, ad magis Deo placita reddenda opera nostra, addamus eis sanctitatem votorum: ita ut ea ex voto faciamus: hoc est, votum de eis faciendis prius concipiamus; eoque concepto, illa tum faciamus: sive sint interna tantum opera; sive externa etiam; sive sint naturalia; sive supernaturalia; sive sint spontanea, sive obligatoria, & aliunde obligata; sive aliàs faciendâ, sive non faciendâ, nisi ex inductione voti facti. Quia verò ex hac verborum præmissione & usurpatione, possent aliquibus ignaris ac ingautis, loco profectus & lucri spiritualis, potius impedimenta, damna, scrupuli, & scopuli conscientiam nasci; nollem autem ego in ullo meo scripto, cuiquam laquem iniici; ideo cautela quædam est adhibenda in hujus Industriæ usu: & quidem hæc potissima: ut hæc vota non sese extendat, neque fiant in ordine ad opera non posita in nostrâ potestate, neque ad opera diu & crebrò à nobis factitanda

9. 31. 112
Sicuti
oper: us.
Tom: I
M: V
56

vitanda, neque ad opera tardè post futura à nobis, neque ad opera, in quibus potest subesse periculum alicui votum irritandi: sed ad opera obvia, quotidiana, notabiliora, in potestate posita, & in præsentis statim futura, & nullius irritationis voti periculo exposita. Ita exempli gratiã, si dicturus sum Orationem Dominicam, Horas Canonicas, Sacrum Missæ Officium, Coronam; si sumpturus sim Eucharistiam; si facturus aliquam mortificationem corporis, actum aliquem Virtutis; facturus, inquam, sim ita, ut sim jam accinctus ad faciendum; possum talibus præmittere votum, & statuere atque facere illa ex voto, ex voto, inquam, tali quod se extendat tantum ad præsentem actum, non ultra: & quod in tantum me obliget ad faciendum, in quantum est in mea potestate facere: Quod si interveniat aliunde impedimentum, factionis, hoc ipso cesset votum. Atque hac ratione votum si usurpetur in nostris operibus; nihil periculi afferet, plurimum lucri & pietatis augebit animabus. Quod enim periculum sit animæ, si jam ad Sacrum dicendum procedens concipio votum faciendi illud, vel faciendi in hunc illumve finem, gloriæ Dei? &c. Item si dicturus, Ave Maria, invocam me dicturum illud, vel dicturum in honorem Virginis MARIÆ? Quod si, ita inopinate quidpiam interveniat & interpellet me in ipsius recitatione, hoc ipso ex intentione meâ, voti meus non sum, &c. Igitur si quis rectè attendat ad hoc quod dictum est in hac Industriâ; tam multum potest esse utilitatis, quàm nihil omnino periculi.

Addo hoc loco: vota præmitti posse non

V. P. Druzb. Op. IV.

I

tan

tantum actionibus, sed etiam intentionibus actionum. Ut, si facturus sim pro defuncto aliquo; possum præmittere votum, non tantum de faciendo Sacro, sed etiam de faciendo pro defuncto. Item si velim subire afflictionem aliquam, ad gustum Dei voluntatis, ad me in conspectu Dei vilificandum, Deum verò exaltandum, ad hoc vel illud impetrandum, ad pro hoc vel illo satisfaciendum; omnia ista voti obligatione exornare possum absque ullo periculo, magno cum lucro.

Addo præterea aliud: Vota modo jam explicato fieri à nobis posse, non tantum de operibus faciendis; sed etiam de non faciendis: maximè sensualibus & commoditativis, aut certè quibuscunque non obligatoriis, hinc & nunc sub tali vel tali conditione. Sic v. g. si quis stimuletur ad dicenda aliqua alicui, ad videnda vel audienda nova, curiosa, ad utendum hac vel illà commoditate, potest commodissimè, & utilissimè, interdiceret sibi illis dicendis, videndis, audiendis, utendis, ad aliquantulum tempus, unius Ave Maria &c. idque ex voto seu per votum.

Denique addo: per hæc vota non solum immediate Deum honorari posse sed etiam Sanctos eius; ut si v. g. voveamus id vel id facere in honorem Sancti alicujus vel Sanctorum.

INDUSTRIA XIX.

In operibus nostris, nosmet ipsos sacrificare debemus DEO.

135. **A**D augendum valorem operum nostrorum, valet etiam plurimum Sacrificatio nostra in operibus nostris, vel ipsorum Operum nostrorum.

trorum Deo in Sacrificium oblatio. Est enim
 hoc certum inter Spirituales Magistros, & etiam
 in Sacris Literis expressum habemus, quòd servi
 DEI, sint quodammodo spirituales ac Mystici
 Sacerdotes, qui operibus suis bonis ac sanctis, ju-
 ges hostias DEO offerunt, tot victimas ejus ho-
 nori immolantes, quot opera bona perpetrant,
 quot dura & aspera pro ejus amore tolerant. Sic
 enim monentur omnes fideles, ut sciant se esse,
 & re ipsâ atque executione sint, Sacerdotium
 Sanctum, offerre Spirituales hostias, acceptabi-
 les Deo per JESUM Christum. Docetque adeò
 D. Thomas alicubi, ipsum Sanctissimum Missæ
 Sacrificium, alioqui naturâ suâ DEO gratissimum;
 quatenus tamen à nobis offertur, nisi ita offera-
 tur, ut & nos simul in eo internâ oblatione im-
 molemur, gratum DEO non futurum; quanto
 id magis de aliis nostris operibus credendum erit?
 quæ nisi ex interiori nostrâ devotione gratiam ha-
 buerint, alio nullo ex capite eam habitura sunt.
 Debemus ergo id curare, ut si opera nostra mul-
 tum valere apud DEUM volumus; sic ea face-
 re laboremus, ut in eis nos ipsos Deo in Sacrifi-
 cium immolemus. Sed hîc quaeritur, quid sit tan-
 tem & quomodo perfici possit hæc oblatio, arque
 adeò Sacrificatio nostri in operibus? Qua de re ni-
 hil brevius, nihil veriùs dicere possum, quàm hoc;
 id negotium solius Amoris sive Caritatis esse. Ipsa
 est enim, quæ nos Sacerdotes, quæ altaria, quæ
 hostias; quæ immolationem ipsam, & immolari
 facit. Ipsa est enim, quæ & Deum dignificat su-
 per omnia, & nos annihilat propter Deum, &
 cum Deo, & in Deo, perdendo nos, & mori
 quodammodo morte spirituali, nobis scilicet ipsis,

1. Pet. 2. v. 8.

*2. 2da. q. 85.
a. 3.*



& amori nostro proprio, faciendo: (quæ duo ad rationem sacrificii requiruntur, ut nempe res aliqua creata perdat in honorem Dei tanquam supremi principis &c.) Caritas ergo nos sacrificat, Caritas immolat, sed Caritas illa, quæ hoc est, quod præfert nomine. Caritas perfecta, Caritas, quæ nemo sibi vivit, sed vivit Deo. Cùm ergo quæritur, quid sit, in operibus nostris Sacrificium fieri; respondeo, opera ex amore facere, in amore, cum amore, propter amorem Dei solius & unius, sine ullo amore nostri, sine ullo commodo nostro, quatenus nostrum est. hæc enim operandi ratione, fit ut anima vel potius totus homo perdat se, moriaturque sibi, & moriatur in honorem & cultum exaltationemque solius Dei.

136.

Hoc igitur suadeo viris Spiritualibus omnibus, ut in omni opere suo, amorem, immo puritatem amoris sectentur, Deoque sese charitate immolent, & quidquid tandem sive agunt, sive patiuntur, id totum faciant, ut illi quidem annihilentur, Deus verò glorificetur; illi pereant, Deus sit, sibi pereant, Deo sint, & existant, & vivant. Itaque hoc speciatim advertant, in sua Caritate, ut sit sacrificativa requiri, ut nempe sit ab omni humano (quæ humanum est) commodo spirituali ac temporali defæcata & depurata, & quàm longissimè semota, unice soli placere Deo cupiat in opere, idque quàm maximè, idque quia Deus dignus est, & debentur ei omnia, & ipse placet super omnia, & homini debetur nihil, præter solum nihil. *Vide supra Indust. 4. 2. 1.*

Hæc

Hæc nostri ipsorum Sacrificatio, in omnibus quidem, (ut dictum est,) operibus nostris curanda est, at præcipue locum habere debet in Sanctissimo Missæ Sacrificio, ut dum Sacratissimam illam hostiam, æterno Deo, vivo, & vero immolamus, nos etiam ipsos, tum holocaustum facientes, illi divinæ hostiæ adjungamus, & nos etiam per illam sanctificemus ac dignificemus. Debet etiam habere locum hæc nostri immolatio, in Oratione ad Deum, in operibus zeli animarum; & denique in omni opere spirituali, in quo periculum subesse possit homini, ne seipsum quærat, sibi ve complaceat, & vanitate gloriæ humanæ seu creatæ titilletur, & coram se ipso pretiosior appareat, sibi que ipsi aliquid esse videatur, cum nihil sit.

Huic sacrificandi nos per opera nostra exercitio, maximum pondus atque pretium addit sanguis, merita, Gratia Jesu Christi: per hunc enim mediatorem, atque summum Sacerdotem, spirituales nostræ hostiæ efficiuntur Deo acceptabiles, juxta verba S. Petri superius citata. Quare, ad valorem omnem operum nostrorum, etsi satis sit, ea uniri Christo Domino, per hoc, quod nos, qui ea operamur, firmus in Gratiâ habituali; tamen longè plus efficaciz habet, si etiam particulatim & in specie, & ipso, ut sic loquar, actuali exercitio, uniantur meritis Christi: de quâ unione, jam supra sæpius actum est.

Ind. 12. 17.

Ind. 19. 71.

INDUSTRIA XX.

*Possumus actuum nostrorum meritum augere,
usu mortificationis externæ, in quovis
opere nostro.*

138.

FAcit etiam ad valorem & ad Efficaciam operum nostrorum permultum Mortificatio: & quidem omnis, tam scilicet interna, quam externa, tam partis inferioris, quam superioris; præcipue tamen hîc loquor de mortificatione externâ, quam hæc Industria suadet adjungendam esse, quoad fieri potest, omnibus & singulis operibus nostris, præsertim gravioribus. Efficaciam enim homo spiritualis ita debet esse hostis sensualitatis suæ, ut nullo momento, ab ejus mortificatione vacet, sive subtrahendo delectabilia & commoda, sive ingerendo aspera & incommoda; tamen, cum hoc multorum natura ferre non possit, & magnâ in eo discretione opus est, ne dum persequimur hostem, interficiamus & civem; & in paucis istiusmodi fervor est; ideo consultum est, ut amator spiritualis profectus, medium aliquod certum, in sui mortificatione exteriori habeat.

Atque ita curabit vir spiritualis in sui mortificatione excellere, non eò solum fine, ut se affligat, & hostiliter tractet, tanquam perpetuum hostem suum, non solum ut pœnas à se sumat peccatorum, & ulciscatur in se offensas Dei; non solum ut atterat vires sensui, contra spiritum, plusquam par est potenti & audenti; sed etiam, ut operibus suis, addat plus efficaciam ad merendam gratiam & Gloriam, ad impetrationem sibi aut aliis multiplicium Donorum Dei, ad copio-

florem
venti
quàm
adverf
quæ p
etiam
tificati
propo
cticas
placeb
Ha
Indicu
na, ve
tata.
operu
dixi In
sive ca
cation
ris v.
more
furre
tation
aliqua
dum c
eo per
reliqu
catio,
sumit
foras
men i
dat ve
statam
hæc m
pera

fiorem satisfactionem pro pœnis sibi vel alicui vi-
 venti mortuovè debitis. Mirum enim est,
 quàm grata Deo, quàm animæ proficua, quàm
 adversario nostro horribilia sint opera illa nostra,
 quæ præter alias suas commendationes, habent
 etiam commendantem & confirmantem se mor-
 tificationem: quæ fusiùs referre non est hujus
 propositi, ubi tantùm Industrias scribimus pra-
 cticas viro spirituali exercendas. idque hoc, si
 placebit, ordine ac modo.

Habeat vir spiritualis cognita, atque etiam in
 Indiculum collecta omnia opera sua, quotidia-
 na, vel etiam non quotidiana, duntaxat sibi usi-
 tata. & inter alias observationes seu Regulas
 operum illorum exercendorum, de quâ re suprâ
 dixi Ind. 2. Habeat etiam unam hanc, ut sese,
 sive carnem suam aliquo certo genere mortifi-
 cationis affligat, inter exercitium cujuslibet ope-
 ris v. g. dum mane surgit, habeat in promptu &
 more mortificationem carnis, qua reliqui actus
 surrectionis matutinæ condiantur. dum medi-
 tationem peragit matutinam, non absit externa
 aliqua mortificatio. dum ad sacrum sese dicen-
 dum comparat, vel dum illud peragit, vel dum
 eo peracto, Gratias Deo persolvit, adjungatur
 reliquis actibus atque consuetudinibus mortifi-
 catio, dum studet, dum legit, scribit, dum cibum
 sumit, dum recreationi horariæ intendit, dum
 foras prodit, dum cubitum vadit, dum per exa-
 men in Conscientiam inquit, dum se somno
 dat vel jam dedit: omnia ista opera, habeant
 statam certam mortificationem. Et non dico ut
 hæc mortificatio sit continua per illorum operum
 peractionem, sed ut aliqua quidem, habeant

continuitatem comitem, aliqua verò non continuam, sed tamen ex intervallo, vel praemissam, vel advenientem, atque vigilantiam animae excitantem &c.

140.

Quærat aliquis, quas & quales, cuilibet operi nostro velim aut putem mortificationis adjungi posse? Respondeo, id praesentis mei Instituti non esse, quantumlibet id aliquis desiderare possit à me. Ingeniosa est Caritas, Inventiva, facilis excogitare, & modos, & instrumenta afflictationis. Monuerim tantum, ut sit discreta, ut non notabilis neque in oculos & admirationem hominum incurrere apta; ut tales mortificationes adhibeantur, quæ difficilè sciri ab aliis possint, quæ diu fieri, & in multos annos, salvâ valetudine, exerceri protrahique possint.

Proderit etiam habere collecta & in Indiculum redacta, tum corporis membra, tum corporis sensus; tum eorum afflictandorum, in operibus his aut illis, (certis tamen) modos: ita, ut nunc hæ, nunc illæ partes, nunc hi nunc illi sensus, nunc in hoc nunc in illo opere, nunc hoc, nunc illo modo, afflicentur. Quæ corporis, membrorum, ac sensuum mortificandorum distributio, poterit partim operibus quotidianis, partim temporibus certis (horarum, dierum hebdomadarum, mensium, & suaferim hebdomadarum vel mensium esse) alligari, atque assignari, in quibus exerceatur; Quâ de re alibi forsitan tractandi locus erit: hîc enim ejus rei locus non est.

141.

Advertendum etiam est; Mortificationem externam, duplicem esse, aut dupliciter fieri posse; uno modo positive; dura & dolorifera, aut

Opus
Operi
Tom: I
N: V
56

nostra portio, ad captandas consolationes & commoditates, fugiendas verò & submovendas à se, quaslibet minimas afflictiones & incommoditates suas. Quantum verò vigilet & excubet in omni occasione sensus, ad ea, quæ illius commoda sunt, id non magisterio alieno, sed propriâ experienciâ atque reflexione cognoscendum est. Satis sit hoc, quod nunc dixi, expressum esse ab Apostolo tum in illis verbis; Caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem: hæc enim invicem sibi adversantur, tum alibi: Videte ne curam carnis perfecteritis in desideriis ejus.

143.

Denique minimæ istæ molestiolæ sensuales, non sunt minimæ in merendo, non sunt minimæ ad augendum valorem operum nostrorum. Etsi enim spiritus est qui vivificat, caro autem non prodest quidquam, &c. Corporalis exercitatio ac modicum valet, si illa sola absque exercitatione internæ pietatis ac devotionis, quæ ad omnia valet, exerceatur; tamen si Pietatis & Devotionis internæ operibus, adjungatur, maximum ei ornamentum & momentum addit. Sicut enim aureum vas, per sese quidem pretiosum est, & valoris ponderisque magni; si tamen addas ei nitorem, lævorem, rasuram, aliasque extrinsecus adjectas figuras, emblemata, &c. longè speciosius & pretiosius evadit: sic opera Pietatis, per se quidem magni momenti apud Deum sunt; si tamen exterioris mortificationis, discretâ rasurâ, politie, lævitate, flosculis, figurisque ornentur; longe plus speciosa in oculis Dei evadunt.

144.

Addam hoc prædictis commodum: Mortificatio-

fricationem externam, posse exerceri, etiam in ipsius commoditatis, aut necessitatis impensione, dummodo quis hac in re circumspexit & prudens esse nōrit. Ita enim commoda ista externa commodant (quod tum experientia docet, tum Gregorius Magnus alicubi fusè exemplis ostendit) sensui; ut si in eis eorumve usu homo diutius perseveret, solatia illa, vertantur sensui in molestias, & appetibilia, transeant in fastidiosa. Sic enim sæpè molestiâ standi affecti, sessionem vel ambulationem, levaminis loco inchoamus: ambulatione fessi, sessionem quærimus: pruritu carnis vel morfu aliquo excitati, frictionis remedium adhibemus, mox tamen ipsam frictionem molestam experimur, si longiùs adhibeamus. Sæpè ad quod aspectandum avidè accurrimus, mox vel satietate aspectûs, vel vilitate objecti videndi, videre nauseamus: Hoc igitur dico: si talia observant viri spirituales, plurimas sui sensûs mortificandi ubique invenirent & occasiones & rationes; atque adeo ipsasmet commoditates sensûs, facilè verterent in afflictiones, uti satis ex modò propositis exemplis patet: ex quibus prudens, de aliis facere conjecturam potest.

INDUSTRIA XXI.

Possimus multa merita comparare, per raritatem actionum, atque passionum, bonorumque omnium, tam alienorum, quam propriorum.

Sæpè homines, Spirituales etiam contenti sunt, opera aliqua fecisse, aut aliquâ in Dei laudem, animæ

145.

animæ suæ utilitatem peregrisse, atque, pertulisse; nec amplius laborant, ex eisdem, quanquam jam transactis, fructum colligere. Non credo, quòd id faciant negligentia, sed potius credo, facere inadvertentia. Quare præsens Industria, suadet spirituali viro, ut non tantum laboret, multa bona opera facere, multaque adversa perpeti, Dei Gloriæ & salutis suæ causâ; verum etiam, ut operajam facta, adversavé jam tolerata, iterum & sapius in fructum suum convertat.

Quod quidem præstare poterit variis modis. Primò ratihabitione eorum, atque quâdam approbatione, & contentatione (non superbâ & vanâ complacentiâ, quæ hîc non habet locum) quæ jam in Dei gloriam, facta vel tolerata, vel proposita sunt. 2. Nec solum quæ jam in præterito sunt, sed etiam quæ in præsentî, quæque in futuro, per totam vitam reliquam, & momenta illius, atque atomos etiam, si ita placet. 3. Potest id præstari Gratiarum actione Deo pro eis. 4. Oblatione eorundem Deo. 5. Potest id præstari, non tantum quoad substantiam actionum & passionum, sed etiam quoad omnes circumstantias, quoad totam latitudinem, intensiorem, gradum, sensum bonum. 6. Potest id fieri non tantum de actionibus & passionibus propriis, sed etiam de alienis, immo de omnium creaturarum, etiam insensibilium & irrationalium, usque ad Christi Domini actiones, atque passiones. resolutionesque; ita, ut offeramus, gratias agamus, ratas habeamus omnes actiones, passiones Christi, B. Virginis, Angelorum, Sanctorum, hominum, damnatorum, animalium, arborum, fruticum, herbarum, lapidum, arenarum, guttarum, aëris parti-

G. D. 1722
 S. 112
 Operi: 112
 Tom: I
 N: V
 56

particularum, stellarum, Cælorum, atomorum; in omni & cum omni circumstantiâ, latitudine, bonitate earum. 7. Potest id etiam fieri, de iis omnibus actionibus atque passionibus, quæ in honorem Dei, & aliàs quomodolibet bene fiunt ab aliquâ creaturâ, occasione nostri quomodocunque, sive quia ex nobis profecerunt ad bonum, nostro exemplo, institutione, oratione, occasione, dilectione, scriptione, laude, &c. &c.

8. Potest fieri id non tantum per eorum ætuum ratihibitionem, qui sunt, vel fuerunt ex naturâ intentioneve operantium, boni & Deo placiti, sed etiam per eorum, qui fuerunt, aut sunt mere naturales, neque à nobis aut ab aliis directi in finem supernaturalem: item etiam per eorum, qui sunt mali & malefacti, bene tamen fieri poterant; & bonitatem saltem entitativam habent, & certe bonitatem moralem habere debuerant; quam etsi non habuerunt, nec habent, nec habebunt, tamen ex nostrâ in Deum religione & devotione, optatur ut habuissent, utque habeant, & à nobis, quantum est ex nobis, hac ratihibitione & in Deum directione eam accipiunt. Quo sensu, etiam peccata impiorum, damnatorum, atque dæmonum, sub ratione entitativæ bonitatis, non autem malitiæ & perversitatis, possunt à nobis in nostrum meritum, & in DEI honorem converti, quantum ex nobis est. Possunt & nostri actus alioqui minus bene peracti, hac ratihibitione & oblatione, aliquatenus, immo non parum rectificari, & ex inutilibus, aut etiam pænalibus reddi meritorii. Et hoc namque est, Diligentibus Deum omnia cooperari in bonum. Si enim possumus ex actibus malis, à nobis

146

nobis v. g. commissis, elicere fructum pœnitentiæ, doloris, humiliationis; & si possumus dolere, quod illos malos & male fecerimus; igitur possumus etiam optare, ut eos bene bonosque fecissemus: igitur ultra possumus optare & cupere, ut nunc boni sint & in Deum directi: igitur possumus & dirigere eosdem, & ut sic directos, ratos habere &c.

147.

Hæc ars ratas habendi actiones passionesque omnes, nostras juxta & alienas, proficua est, nec facile Negotiatori spirituali negligenda, quin immo frequenter exercenda, & quoad fieri poterit, exactius minutiisque exaggeranda, ut actus ratihibitionis, per multiplicia objecta, quæ complectitur, etiam quodammodo multiplicetur. Quanto enim multiplex magis erit, tanto & magis utilis ac meritorius. Nam sicut si quis malos actus suos, vel aliorum, in Dei contemptum factos approbet & complacet, omnes ac singulos intentione deliberatæ Voluntatis, fieret omnium & singulorum reus, & censeretur, per omnes damnabilis; cur non id fiat in oppositâ bonorum ratihibitione? cur, inquam, non per tot, & pro tot actibus mereatur Gratiâ apud Deum, quot actus Deo & in Dei Gloriam factos voluit, ratumque habuit. Magna igitur est hîc messis bonorum, & quidem sine magno labore comportanda.

Quod si adhuc ista ratihibitio actuum ita fiat à viro spirituali, ut cupiat omnes actus (& idem dico de passionum omnium toleratione ab omni creaturâ) & singulos factos, majore & majore millies proportionem fervoris, caritatisque in Deum, in unione meritorum Christi Domini &c.; Non dubito, quin hæc praxis longè evasura sit fecundior,

G. D. 1712
 Sicut
 opere esse
 Tom: I
 N. V
 56

eundic
 prior.
 jungo.

D
 viunt o
 quam c
 modo a
 xternit

Domini

adoro,
 item p

Gratia
 ratifica

tum er
 stantiâ

esse, fo
 tuitu,

¶ Can
 creatur

si, B. i

versati
 meas, &

que cor
 Magis

Angeli

Christi

per om

tuas ip
 sive ad

omnes
 te, &
 stiones

nos, &
 mus, &

eundior, & coram oculis Majestatis Divinæ accipior. Praxim hujus Industriæ brevissimam subjungo.

DEUS, *cujus Gloriæ, & servire debent, & servant omnia, omnes actiones passionisque tam meas, quam omnium reliquarum creaturarum, quocumque modo à me & ab eis habitas, & etiam per omnem æternitatem habendas, ratas habeo, atque tibi Deo Domino offero, iisque omnibus te dignissimum laudo, adoro, benedico, dignifico, & amo super omnia: item pro eis omnibus tibi, tanquam earum fonti Gratias ago, ac eas tibi restituo & in te refundo, ratificans eas, & congaudens tibi ex eis, in totâ earum entitate, bonitate, latitudine, sensu, circumstantiâ, & cupio omnes ac singulas elicitas fuisse, esse, fore, ex purissimo gustûs tui sibi adequati intuitu, millies milliesque majori proportionem fervoris & Caritatis, ex totâ latitudine capacitatis omnis creaturæ, in unione totius Sanctissimæ JESU Christi, B. Virginis, Sanctorumque omnium tuorum conversationis. Specialiter autem, ratas habeo omnes meas, & aliorum, meâ occasione habitas, exercitasque coram te, & propter te, actiones ac passiones. Magis verò ratas habeo, Sanctorum hominum, & Angelorum, Pretiosissimæ Parentis MARIE, JESU Christi DEI-Hominis capitis nostri. Caterum super omnia ratas habeo omnes actiones & passiones tuas ipsius, ô Domine DEUS noster, sive ad intrâ, sive ad extrâ, in te, & à te repertas. Ratas habeo omnes communicationes tuas, per quas tu tibi in te, & per quas nobis tu ex te communicas, perfectiones tuas; & omnia quæ Tu es, & quæ sumus nos, & per quas nos ad Te refluimus atque recurrimus, tanquam ad fontem nostrum. Tibi ex omnibus*

bus

bus & in omnibus DEO nostro Gloria, æstimatio, & laus per omnia momenta, per omnes atomos, per omnia instantia temporis & æternitatis, usque in æternum, & ultra, fiat, fiat. Amen.

Poterit id ipsum brevius & simplicius transigi hac praxi:

Ratas habeo omnes actiones & passiones meas, quocunque modo habitas & quocunque modo bonas. Ratas etiam habeo easdem omnium omnino creaturarum, incipiendo à Christo Domino, ad ultimam usque atomum creatam. Ratas habeo in specie etiam illas, quæ sunt occasione meâ aliquomodo in te Deum exercita, & ratas habeo omnes & singulas in omni earum latitudine, sensu, circumstantiâ, in unione meritorum Jesu Christi, Pretiosissimæ Parentis, & Sanctorum, majori quam unquam fervore spiritus, milliesque millies majori proportionem fervoris, charitatis, Dignificationis, quia hæc est Voluntas tua & Dignitas Voluntatis tuæ Sanctissima Trinitas, DEUS meus. Amen.

148.

Valet hæc Industria, tum ad multa alia commoda, tum, ut homo particeps fiat actualiter, omnium omnino bonorum creatorum, utque Deum in omnibus laudet, utque nihil vacuum à Dei laude esse, vel fuisse, vel fore sinat, in ullâ creaturâ, utque ex omnibus fructum percipiat, non unum, nec semel, sed quotiescunque & qualemcumque libuerit.

Potest etiam hæc Industria extendi ad rata habenda ipsa bona Dei, quatenus in Deo sunt, & quatenus ex Deo ad nos fluunt jugiter, & quatenus à creaturâ in Deum resfluunt, ut jam in praxi priorè visum est.

INDU

INDUSTRIA XXII.

Possumus crescere in merito per retractationem malarum, Actionum, tam nostrarum quam alienarum.

Quod superiore Industriâ exposui, de rati-
habitione actionum & passionum bona-
rum, sive propriarum sive alienarum; id ipsum
in presenti Industriâ suadeo faciendum, per re-
tractationem malarum actionum passionumque
sive nostrarum, sive alienarum. Intellego au-
tem malitiam moralem, peccaminosam, & Deo
displicentem, nosque displicere, & pœnas me-
reri facientem. Cujusmodi malitiæ, non est
finis in hominibus, tam vivis, quam mortuis,
damnatis, itemque dæmonibus æterno supplicio
addictis. Eam verò potest bonus Spiritualis
Negotiator, in usum suum meritumque apud
Deum convertere, retractando illam, cupiendo
non fieri, non factam esse; dolendo quod fiat,
facta, futuravé sit; compatiendo iis, qui in eâ
sunt; cupiendo liberari ab eâ (etiam damnatos
si ita Deus vellet) omnes, statim, in perpetuum;
cupiendo impedire & impedire eam malitiam
a Deo. Talis quippe retractatio, non potest non
esse summi momenti & meriti apud Deum;
quia vix potest procedere non ab ingenti cha-
ritate DEI & proximi, à zelo Gloriæ & Dignita-
tis Dei, ab amore Justitiæ &c. Ex quibus princi-
piis mirè augetur. hujus retractationis valor ac
meritum at Dignitas apud Deum.

Quod si retractationi accedat etiam satisfactio aliqua vel satisfactio (ut in Sacrificiis Missæ
V. P. Druzb. Op. IV. K vel

149.

150.

vel in Mortificationibus externis, inque victoriis sui evenire solet) oblata pro iisdem malitiis Deo, in quandam delinitionem Divini cordis, dolentis ex offensâ tam multiplici, tam continuâ, tam obstinatâ, tam æterna; longè amplius etiam hæc retractatio efficietur gratior Deo, vel homini utilior: utilior verò non ad merendum tantùm Gratiam & Gratiam sed etiam ad abstinendum à peccato, ad accendendum zelum contra vitia, inhibenda in se & aliis, ad colendam virtutem suâ & aliorum causâ &c.

Praxis hujus Retractionis, hæc similisque esse poterit.

DEUS Dignissime, qui nos Creaturas tuas in Gloriam tuam creasti, sed à nobis infinitis modis ac malitiis, quotidie offenderis, doleo quantum possum pro omnibus, & singulis peccatis atque malitiis, in te, primùm quidem à me, deinde ab omni creaturâ commissis, atque etiam committendis. Nolo mi Deum, nolo ullam malitiam à me, ab omni que creaturâ aliâ commissam esse, ac fore; eam ex nunc retracto, detestor, & execror: quia te Deum dignissimum agnosco, amo, estimo. Nolo te in æternum offendere, nolo te offensum esse, nolo offendi te à præteritâ, præsentè, futurâ, vivâ, & damnatâ creaturâ. O quis det, ut te omnes laudent, & ut omnia mala ab eis commissa, & committenda, non sint commissa, non sint committenda, sed potius ut omnia sint in laudem tuam quàm maximam conversa. Deus meus, vides voluntatem meam; vides quod cupiam, ut nihil sit in creaturis tuis malum in oculis tuis. Cupio & propono, quantum in me erit, impedire mala omnia & displicita

9. D. 112
 11. 11. 11
 Oper: use
 Tom: I
 N: V
 56

cita tibi. Offero tibi totam vitam JESU Christi, Pre-
tiosissima Parentis, Sanctorum omnium & singulo-
rum: offero totum me, cum omni capacitate meâ,
ad resarciendam læsam malitiis nostris Bonitatem Di-
gnitatemque Tuam. Offero tibi hoc in particulari
opus meum &c.

Hujus Industriæ, utilitas maxima esse potest,
atque ut dixi, Deo gratissima piisque mentibus,
quas zelus domûs Divinæ tabescere facit, debe-
ret esse commendata, & in dies singulos statis
temporibus usitata. Hoc est enim comedi zelo
Dei: hoc est videre prævaricatores, & tabescere:
hoc est interficere in matutinis omnes peccato-
res terræ. Hoc zelo certe Christus arsit ab initio
Conceptionis suæ ad mortem. hoc zelo ardent
omnes Sancti in hâc vitâ, qui ita aliena ac sua
propria peccata deflent, & impedire laborant.
Hunc zelum quotidie Christus exercet in Eccle-
siâ, exercet quoque ipsa Ecclesia, dum quotidie
retractat & expiat peccata filiorum suorum. De
hoc zelo intelligitur illud: Peccata populi co-
medetis. Hanc retractationem exercuit septimo
quoque die Job pro filiis suis offerens, ne forte
peccaverint filii ejus & filiæ in Deum. Hanc re-
tractationem Synagoga exercuit, offerendo sa-
crificia pro peccatis populi. Hunc zelum Chri-
stus, ut dixi exercet assiduè usque ad consum-
mationem seculi, in Sacrificio Missæ, quod est
propitiatorium, satisfactorium, &c. cui ergo
pio, dubium erit, hoc exercitium esse Deo gra-
tissimum?

Hæc Industria retractativa, multifariam po-
test adhiberi & exerceri. Primò potest fieri in
genere suorum & alienorum malorum, juxta
positam

151.

152.

positam praxim. 2. Potest fieri in particulari, retractando specificè peccata, secundum eorum species. 3. Potest fieri, retractando peccata certorum locorum, regionum, statuum temporum, personarum, officiorum, &c. 4. Potest fieri retractando peccata secundum pœnas eorum. ut scilicet ea peccata, quibus Deus tales vel tales pœnas infligit, retractemus, & pro eis satisficiamus, &c. 5. Potest fieri retractatione peccatorum, secundum horas, dies, hebdomadas, menses, annos; retractando scilicet peccata hujus diei, mensis, à me ab aliisque commissa, eaque supplendo ratione suprâ positâ vel alio meliore modo. *Industr. 16.*

Hujus Industriae tempus esse potest commodum, omne illud, quo de propriis peccatis Examen & dolorem instituimus, actumque contritionis facimus, conjungendo statim cum retractatione supplicationem, hac sequenti, vel precedenti, vel aliâ simili ratione.

Mi Deus: omnia peccata, malitias, imperfectionesque meas, (& omnium aliarum creaturarum, etiam damnatarum) à me (& ab eis) hodie, (hoc mense, anno &c.) in te perpetratas, coram te retracto & detestor, perpetratasque esse nolo. Pro omnibus verò illis, hunc actum qui sequitur, Amoris, Aestimationis, Adorationis, humiliationis, doloris, mortificationis, abstinentiæ insupplementum Tibi Dignissimo Deo meo offero, uniendo illum meritis, mihi per gratiam tuam appropriatis, Jesu Christi, Pretiosissimæ Parentis, Sanctorumque omnium. Amo te super omnia, Aestimo, Adoro, Dignifico, exalto, Benedico toto me, totis viribus, actionibus, passionibus meis, majori quam unquam fervore spiritus,
millies-

milliesque millies majori proportione illius, semel
pro semper, Seraphicè, Mariane, Christiformiter,
atomice, sacrificatoriè, &c.

INDUSTRIA XXIII.

*Possumus unius Voluntarii boni actus exercitio,
plurium vicem, quantum ad meritum & valo-
rem, supplendo in meritis
crescere.*

HÆc est Voluntatis nostræ, ac multò magis
divinæ Gratix natura, ut quemcunque lo-
cum calcet pes ejus, ejus fiat: modò usus tam
Voluntatis, quàm Gratix, nobis sit tam familia-
riter notus & usurpatus, quàm commodè po-
test naturâ suâ esse, si nobis nos deesse nolumus.
Inter alias ergo Voluntatis nostræ liberas divitias,
divitesque libertates, est hæc una: quòd unico
actu ac motu, sive opere suo externo aut inter-
no, imperato aut elicitò, possit plurimorum,
ac, audeo, dicere, infinitorum, possibilibusque
vicem supplere, ac meritum, valorem, præ-
miumque obtinere. Habemus ejus rei aliquod
simulacrum immò exemplum in notis numeri-
cis, quas homines ad placitum inventas, designa-
runt ad tantam vel tantam summam, tantum ve-
numerum significandum. v. g. statuerunt, ut C.
significaret Centum; D. Quingenta; M. Mille.

153.

Hoc quod fecit placiti humani libertas, in
hisce & similibus notis, potest eadem facere in
actibus vel passionibus suis internis, externis vè
ab internis imperatis. potest, inquam, Volun-
tatis humanæ libertas id facere, id sibi imperare,

154.

K 3

ut si

ut si faciat unum talem, aut talem actum, cum hac intentione atque proposito, censeatur fecisse 10, 100, 1000. actus: potest sibi imperare, ut libenter quidem hic & nunc faceret, si posset, si locus, occasio, tempus circumstantiæ paterentur, mille millia actuum talium & talium in Dei laudem; sed quia id prudenter nequit, substituit unum actum Charitatis, spei, timoris, zeli, resignationis, quem cupit, & vult, ac intendit vicem illorum mille millium tenere & supplere: maximè cum, ut aliàs dixi, omne pondus actionum nostrarum, quod eis ex parte nostrâ advenit, à Voluntatis libertate, sive ab intentione, & deliberatione, advertentiâ, conatu, designatione neque proveniat: ita, ut quod hic actus meus valeat tantum, alterius verò, vel alter meus amplius, tertius etiam amplius; id non sit aliunde ex parte meâ, quam à Voluntatis meâ intuitu & studio & arbitrio. Ex parte, inquam, meâ; nam ex parte Gratia habitualis, ex parte objecti quid accedat, nunc non attendo. Quia ergo ita valor actionum, à Voluntatem meâ, talem vel talem valore intendente dependet & promanat: manifestum est, licere mihi, apponere actionibus meis ex parte meâ valorem, quantumcunque volo: ac, si apposuerò parvum, parvus erit, si magnum, magnus erit, si majorem, major, si omnem omnis.

155.

Neque est periculum, ut hac ratione Christum ipsum, aut Beatam Virgine, aut omnes Sanctos, meritis adæquem & superem, & quidem unicâ brevi actione, per solam Voluntatis intentionem. Non, inquam, hoc periculum est; quia hæc adæquatio, non ab hâc solâ Voluntatis nostrâ

nostræ affectatione dependet, sed plura alia ad eam concurrere esset necesse, quæ solam Voluntatem affectantem non sequuntur. Cæterum ad præsens Institutum satis est, verum esse, quod dicimus, Voluntatem tantum mereri, quantum vult valere, & tantum pondus suis actibus dare, quantum vult dare: siquidem pondus eorum, est illud ipsum velle, ex quo fiunt ac imperantur.

Quòd si quis dicat, ex dictis sequi, quòd, si debeam Deo centum actus Charitatis, & velim unum actum Charitatis facere, intendendo, ut illo uno faciam 100. re tamen ipsâ non faciam nisi unum, satisfaciam debito meo. Ad hoc facilis est responsio ex jam dictis. Nam supponuntur centum esse debiti, proinde uno non possunt expediri, quia non unus est debitus sed centum. Deinde si centum quidem debeam, sed centum propter circumstantias expedire non possim, unum autem possim, possim unum elicere pro centum, & unum substituere pro centum: & audeo dicere valiturum apud DEUM pro centum, modò sit Voluntas parata præstare 99. si quando erit commoditas. Adde nullum esse dubium, quòd pro centum qualibuscunque actibus, possit unus intensus & heroicus æquivalere, sicut pro centum solidis, valet unus aureus. Insuper advertendum est, aliam esse rationem numeri & valoris. valor enim non sequitur nummum, sed conatum, hoc est, voluntatis liberæ intentum: numerus autem sequitur repetitionem. quo fit, ut si debeam centum actus, possim uno actu mereri, & unum actum elicere, qui valeat tantum, quantum merear pro

centum, vel quantum valebunt centum; non tamen unus actus erit pro centum, quia non est repetitus centies; quæ repetitio erat debita, & cadebat sub debitum. aliàs, si repetitio non caderet sed valor; posset unus tantum fieri, qui valeret tantum, quantum centum, dummodo constare hoc possit, quòd unus valeat pro centum.

157.

Denique aliud est loqui de debitis aliud de arbitrariis voluntatis nostræ actionibus. In illis enim, Voluntas non est sui juris, sed ejus, cui debito obligata est: ejus ergo Voluntati obsequi debet, non suæ ipsius. In his verò secus res habet. Et tamen, etiam in debitis actibus, potest Voluntas, suâ libertate ita uti liberaliter, ut centum actus debitos, faciat ita strenuè singulos, ut intendat singulis exæquare obligationem centum actuum; & sic deinceps: in hoc enim Voluntas sui juris est. Sic, si mihi imperetur Corona B. Virginis dicenda, 63. Salutationum Angelicarum, dicere debeo, 63. Quamlibet tamen earum, potero ita velle dicere, ut quælibet æquivalet omnibus 63. æquivalet quoad valorem, & meritum, & venerationem Beatæ Virginis, non autem quoad numerum, & repetitionem; in qua non valor, sed entitas actûs attenditur debita, & non nisi repetitione actûs præstanda.

158.

Ex his patet, quod initio dixi hujus Industrie, Voluntatis nostræ fecunditas. Patet, quantus cumulus meritorum, in nostra Voluntate situs sit, modò velimus. Patet, quanta quotidie damna faciamus, per meram, vel ignorantiam, vel negligentiam. nam aut nescimus, aut negligimus uti Voluntate, cujus exercitium infinitæ fecunditatis

conditatis est; ut non immeritò jubeat Deus se diligere ex tota anima, mente, viribus, fortitudine, corde. Quæ omnia nihil sonant aliud, præter Voluntatem liberam, & ejus conatum, quem totum Deus sibi & suo amori servire vult impendi. Quia si totus impendatur, infinitum quiddam impenditur.

Exercitium ergo hoc atque Industria, piis Negotiatoribus spiritûs, debet esse valde commendata. parvo enim compendio, maxima lucra facere spiritualia possunt. Unâ aspiratione, uno ictu oculi, una pectoris tunctione, una genuflexione, uno actu amoris Dei, proximi, tantum mereri potest, pro quot actibus illum volet valere; modò alia requisita ad merendum, non desint.

Sic, vellet aliquis, centum actus Gratiarum Deo pro Beneficiis præstare; non potest ob circumstantias prudenter aut commodè? eliciat unum pro omnibus, & offerat pro omnibus, valebit pro omnibus. Vellet aliquis, Deum toties amoris actu prosequi, quoties offensus ab illo est, vel offensus ab omnibus peccatoribus, ab origine mundi: non potest? eliciat actum unum vel alterum, quos intendat valere pro omnibus, valebit, quantum ex voluntate est, pro omnibus. Vellet aliquis adorare Deum cum omnibus, pro omnibus, affectu omnium Sanctorum, in cælo Deum, & terra tota adorantium, unum actum affectumque cum hoc & ex hoc proposito eliciat: quantum ad voluntatem ejus (etsi non quantum ad actum adorationis & aliis forsan circumstantias) valebit totum, quod intendet,

tendet. Ex his faciet prudens conjecturam de reliquis.

159.

Antequam huic Industriae finem imponam, hoc addam; ut nemo miretur, me tantum de Voluntate nostrâ præsumere: miretur potius se ipsum, quod insueverit, tantam voluntatis suae fecunditatem, tantumque apud Deum pretium & pondus, vel ignorare, vel negligere. Vere enim mira res est, quòd homines etiam prudentes doctique, ac de rerum naturis optimè discurrentes, naturam Voluntatis suae adeò ignorent, adeoque negligant, ut nihil sit apud eos ignotius, nihil neglectius, usu Voluntatis. Quæso qui hæc mirantur, respondeant: Si quis vellet esse ita malitiosus, ut apud animum suum statuat, dicat, decernat, juret, voveat, se quoties pedem, manum, oculum, moverit, quoties respiraverit, &c. &c. toties velle & intendere, Deum actu odisse & blasphemare, immo quolibet tali motu & actu, millies millies velle & intendere actus odii Dei elicere, & dictos motus pedum, manuum, oculorum, respirationum, velle esse & signa & actus odii, & singulos eorum pro millibus millium odiorum actualium esse: Si quis, inquam, tam perditus esset, & in hac perversa Voluntate persisteret, & ex hac Voluntate actus dictos pedum, oculorum, manuum, &c. facere; quæso, inquam, & quæro, motus illi manuum, pedum, oculorum hujus hominis, ex intentione tali ejus Voluntatis eliciti, essentné mali & malitiam odii Divini, haberentné an non? quantam haberent? nonne tantam, quantam ille impius voluntate intendere? Ita sanè. Jam quæro cur Voluntas homi-

nis

nis istius tam est facunda ad peccandum, & voluntas pii hominis, cur non potest esse tam facunda etiam ad merendum, si adsint cætera requisita?

Consimili ratione, sit aliquis tam impius, qui uno actu odii hominis alicujus velit velle omnia ea mala illi evenire, quæ Dæmon aliquis vult evenire mortalibus, vel quæ Dæmones volunt, elicere atque actum illum odii, cum tali proposito & pondere Voluntatis; simplexne malitia actui illi inerit, an inerit Diabolica, sive æquivalens Diabolica? & quidem ideo, quia eliciens vult actum illum æquivalere malitiis Diabolicis? Si hoc ita est, uti revera est, & esse, convincit Voluntatis liberæ intentio, atque ponderatio; cur hoc miramur asseri de bonâ voluntate, quod evidens videtur inesse malæ voluntati ab ipsâmet Voluntate?

160.

Memini me jam aliquoties usum hac explicatione, quin & promitto usurum me, cum locus & materia poscet, idque ideo, quia contraria juxta se posita meliùs dignoscuntur, & quia non dubito, omnibus notum esse, Voluntatem nostram, Dei Gratiâ adjutam, non minùs capacem & facundam esse ad bonum, quàm malitiâ impulsam prouere ad malum. Neque enim Deus minoribus nos ad bonum instruxit præfidiis, quàm nos iisdem donis Dei uti possumus perversè ad perniciem nostræ salutis.

161.

Cæterum haud desunt alia, quæ eandem facunditatem nostræ Voluntatis ostendunt, nostrisque oculis ingerunt, si nos videre possemus vel vellemus. Nam cui dubium est, unum actum nostrum, si fiat ex spontaneâ electione ac deliberatione hominis, plus habere valoris & ponderis, quàm

quàm

quàm actum ejusdem licèt speciei, si is fiat casu, à non cogitante, à dormiente, à coacto. Unde autem ille valoris excessus? utique à libertate Voluntatis, hic absente, ibi præsente; à quâ fit, ut ille sit laude vel pœnâ dignus, hîc neutro. Item unde est, quod vulgò asseritur, & sanè veraciter, actus ex unius Virtutis imperio factos, nobiliores esse, & plus meriti laudisque habere, quàm factos ex alterius? Nonne ideo, quia unus est à nobiliore virtute, alter ab ignobiliore? At quæso, quid est ista Virtutum nobilitas? Certè si ad principia voluerimus pervenire, nusquam illam ponemus, nusquam deducemus meliùs, quàm à Voluntatis nostræ præstantiore exercitio, & puriore libertatis impulsu, atque ponderatione. Nam cur Charitas præfertur omnibus virtutibus? Non ab objecto, quia & aliæ in idem tendunt, Fides, Spes, Timor, Religio; sed ab eo, quia Voluntas nostra, meliùs sese effundit in Deum, & agglutinatur Deo charitate, quàm aliis virtutibus. Quomodo autem meliùs? quia liberiùs, quia liberaliùs, quia defæcatis, quia amiciùs & benevolentius, quia à suis commodis privatis alieniùs; uno verbo ideo, quia amat ut amat, amat, quia illi Deus placet, & ut illi Deus placeat, & ut placeat Deo, placeat verò, quia id placitum est Deo. hoc autem totum quid est aliud, nisi Voluntas, nisi volitio, nisi voluntatis ponderatio, & intentio? Voluntatis ergo defæcatio, est Caritatis commendatio.

162.

Item cur vitium vitio peccatum peccato est gravius? nonne ex eo quia est liberiùs? Unde quando peccata excusamus, ignorantiam & nolitionem præteximus, inadvertentiam obtendimus, inde liberationem, affectum impotentem,

præ-

præoccupationem, alienam suasionem, coactionem adducimus. Quod frustra faceremus, nisi cognosceremus, pondus malitiæ, à Voluntate nostrâ esse in peccatis. Utergo levia peccata faciamus, Voluntatis nostræ pondus illis detrahimus, in alia omnia, aliquando in Diabolum, aliquando in ipsum Deum (ut Adam fecit) causam congerimus. Similiter aut opera ex voto facta pluris æstimari à Deo asserimus, quàm eadem sine voto perfecta? nonne ideo, quia in opere facto ex voto plus voluntarii, hoc est, plus à voluntate liberâ ponderis ac meriti agnoscimus. hoc autem quo modo? eo sanè, quia voluntas voto obstricta libertatem suam liberè constrinxit, & quasi immolavit. nemo autem liberiùs quidquam facit, quàm qui liberè cogit, seu, quàm qui ita libere libenterque facit, ut non facere nolit, utque velit non posse non facere, sed coactus esse ad faciendum. hic enim non tantùm facit, non tantùm liberè facit, sed etiam libertatem suam in alterius gratiam, ex liberâ servam facit, atque libertatem immolat, & veluti annihilat atque prodigit: unde etiam pretiosum opus illud reddit, quia totum pretii ejus fontem in illud profundit, totam arborem, cum radice illius, cum fructu simul offert.

Similiter cur opera etiam parva, si citò, promptè, hilariter, libenter, diligenter, constanter, sponte fiant, gratiora sunt, quàm si, esto aliquando majora fiant, tardè, invitè, coactè, ex timore, ex præmio, ex spe, ex prece, inconstanter, perfunctorie, oscitanter, tepidè, acediosè? Nullam causam asseremus bonam, nisi à voluntatis pondere

pondere petitam, quod ibi est, elucet, agit, placet, hinc deest, retardat, impedit, displicet.

163.

Maneat ergo Voluntas nostræ pretium & pondus; maneat illud verum esse; Amor meus pondus meum, quocumque; feror, amore feror; Pretium meum, Voluntas mea. Maneat & illud, consultè & prudenter fieri, quando unum actum pondere Voluntas liberæ, piæ, devotæ, ita imbuimus, & impinguamus, ut ille à nobis substitui possit ac offerri Deo pro multis, æquivalenter, non solum quoad valorem & meritum, sed etiam quoad multitudinem & numerum, dummodo ille debitus non sit sed arbitrarius, aut certè debiti expletio excusetur per aliquod impedimentum, ita, ut Voluntas non solum per intentionem & intensionem, sed etiam per extensionem, unum actum pro pluribus, brevem pro longis, facere atque supponere possit, pie, licitè, meritorie, cum profectu. Illud tamen addiderim, quòd, si unus actus debitè substitutus, pro pluribus facit, & apud Deum gratiofus est, longè sint futuri gratiosiores, si tales, plures fiant à nobis, qualium unus, possit esse pro multis,

Hæc quæ hinc diximus in commendationem Voluntas liberæ, nihil præjudicare Gratia Divinæ, sive actuali, sive habituali, nihil Christi meritis, nihil aliis ad merendum requisitis, volumus. Magnum est pondus liberæ Voluntas, magnum Gratia, magnum omnium requisitorum; Negotiator spiritualis nihil negliget, & ea, quæ nos bene suademus, re ipsâ melius faciet.

INDU-

INDUSTRIA XXIV.

Possumus crescere in meritis, patiendū aliquid mali, faciendūque aliquid boni, semel pro semper.

EST mos inter homines, ut dum aliquid vel docent, vel explicant, vel petunt, vel promittunt, vel imperant, vel præmonent, adjiciant, se id facere, docere, dicere, &c. semel pro semper. Quo loquendi modo cum alia intendunt, tum perseverantiam suam in eo quod faciunt, dicunt, docent, rogant, imperant, monent. Ex quo intelligi datur, Voluntatem nostram hoc quoque habere in natura sua reconditum, quod possit unum aliquid aliquando velle unico actu, eoque brevi, & tamen pro omni tempore secuturo, quantumcunque entitas actus illius, cessaverit pridem, ita, ut voluntas non solum ad plura actuum suorum objecta, (quod proximam Industriam propositum est) sed etiam ad plura actuum tempora, (quibus actus illos exercere aut pati debeat vel possit) possit se extendere. Ex quo fundamento illud Juris pronunciatum natum videtur. Quod semel placuit, semper placere debet. Per quod irrevocabilis constantia voluntatis declaratur.

In hac Voluntatis nostræ proprietate, fundatur hæc præsens Industria, quæ suadet, ut viri spirituales & meritorum avari, quod semel faciunt & amant boni, sic faciant & ament, ut pro semper ament, pro semper faciant, sicut & pro semper, semper oderint malum. Certè est apud Theologos doctrina, quod intentio habitualis, sufficiat ad

164.

165.

ad bonitatem actionum moralem conciliandam, etsi actualis aut virtualis desit, modò habitualis illa, non sit aliquando actu opposito explicito retractata. Igitur & præsens Industria rectè suadebit, si suadebit, ut quis, quod facit boni, faciat semel pro semper. Per hoc enim propositum, non tantum actum bonum in se eliciet, sed etiam Voluntatem suam extendet ad omne sequens tempus, ejusque momenta. Et præterea hoc propositum ostendet se jam quasi omni sequenti tempore id ipsum facere, non tantum velle, sed quasi actu facere. Insuper ostendet hoc propositum, se firmam & constantem Voluntatem habere, & habiturum esse omni reliquo tempore in bono; quod totum neque absque merito Voluntatis, neque absque dignificatione ac multiplicatione bonorum operum. neque absque obfirmatione Voluntatis in bono, esse coram Deo potest, ac proinde non absque ingenti commodo operantis: quod commodum quotidie in omni actu suo bono, potest homo spiritualis lucrari tribus verbulis solâ cognitione conceptis, semel pro semper. Itaque si quid agat boni, si quid proponat, si quid patiatur adversi, si quem actum eliciat virtutis, profiteatur Deo, se ita hoc facere aut pati nunc, ut paratus sit pati agereque semper, immo agere nunc patique, pro semper.

166.

Potest ejus doctrinæ valor confirmari, veritasque illustrari ex eo; quod in perfectione Christianâ, sint quædam Virtutes, quas habitualiter semper opus est in homine esse, etsi actualiter non item. Habitualiter autem esse in adultis virtutem aliquam, est meo judicio non tantum ha-

here

bere ejus habitum infusum in baptismo vel in Sa-
 cramento aliquo, primam Gratiā sanctifican-
 tem conferente, sed etiam habere habitum post
 actum vel actus relictum. Quos actus non
 est opus continuari aut repeti, & tamen o-
 pus est habitualiter durare, seu habitus eorum
 esse. Quod, si rectè attendimus, est ali-
 quid nihil, quàm actus illos semel pro semper eli-
 citos esse ac existere. Id quod non est necessa-
 rium in omnibus virtutibus virtutumvè actibus,
 quarum habitus infusos habere possumus, pos-
 sumus tamen actus earum nunquam elicere, e-
 tiam per totam vitam sine salutis damno. aut si
 aliquando elicimus, non est necesse nos in eis
 perseverare, nec illos in nobis, habitualiter, si fie-
 ri potest, dummodo actus eis contrarios non eli-
 ciamus. Cujus contrarium est in aliquibus aliis
 virtutibus: quarum actus & elici à nobis aliquan-
 do debent de necessitate salutis (qui adulti su-
 mus) & in elicitis semper manere debemus, non
 actualiter, (quia id nequit fieri in hac vitâ) sed
 saltem habitualiter, nunquam eos retractando,
 nunquam contrarios eis vel impossibiles eli-
 ciendo. v. g. actus Fidei, Spei, Charitatis, ita à
 nobis debet elici aliquando, ut semel pro sem-
 per elicitus sit; nunquam enim talis actus retra-
 ctari, nunquam ejus habitus amitti debet. Si-
 militer actus pœnitentiæ de peccatis semel pro
 semper haberi debet, quia nunquam, saltem ha-
 bitualiter, in pœnitentiâ debet non manere, qui se
 vel semel meminit peccasse.

Similiter recta actualis intentio, semper debet
 esse in nobis & durare, non actu, quia hoc no-
 bis impossibile est in hac vitâ, sed habitu, hoc

V. P. Druzb. Op. IV.

L

est,

167.

est; debet semel pro semper elici, nunquam retractari. Quæ intentionis duratio in habitu, satis erit, ad actus ad illam spectantes afficiendos. Vel enim intentio durat vel non durat habitu. Si durat? operatur ergò, id est, afficit actus sibi subiectos & in suâ latitudine comprehensos. Si non durat? est ergo retractata (contra suppositionem) per intentionem oppositam malam, & durat mala. Extra bonam enim & malam habitualiter intentionem, non videtur esse posse homo: nisi dicamus, dari posse indifferentes actus individuè, qui nec boni, nec mali, nec otiosi sint, quod an stare cum veritate possit, viderint alii, hîc locus non est, hæc disputare. Durat ergo Intentio habitualiter: quod si durat, debet effectum facere, qui est, actus sibi subordinatos afficere, & suâ bonitate fermentare. Ex quo sequitur, non improbabiler doceri, intentionem habitualem sufficere ad operum bonitatem, de quo tamen ego non contendo interim: quin immo libenter fateor, virtuale utque actuale intentionem, esse longè meliorem intentionem. Interim meo proposito sufficit docere, quòd semel pro semper facere, aut proponere aliquid boni, sit laudabile, possibile, necessarium, meritorium, insuperque compendiosum & facile.

168.

Hujus Industriae locus & usus esse potest quidem in omni bono actu, præcipuè tamen esse debet in illis actibus, qui sunt, vel salutis nostræ substantiales, vel perfectioni nostræ necessari omnino. ex vi statûs, vel heroici & coram Deo insignes, ut sunt, Charitas, Fides, vota Religiosa, intentio recta, Resignatio, Amor Inimicorum, studium

studium proficiendi &c. condonatio injuriarum, dolor pro peccatis.

Potest etiam hujus Industriæ usus esse amplior, nempe in omnibus actionibus passionibusque bonis. possumus namque quantumlibet usitatissimas atque imperatas & omnino inevitabiles actiones & passionis, intendere, facere ac pati ad gloriam gustumque (v. g.) Divinæ Majestatis ac Voluntatis, ad imitationem Jesu Christi passivi, ad honorem hujus aut illius Sancti, ad impetrationem hujus vel illius doni, ad expiationem pœnæ, hujus vel alterius vitæ, pro hoc vel illo peccato, nostro aut alieno, semel pro semper, nisi alia expressa, vel intentio. vel retractatio accedat.

Insuper, ejusdem Industriæ usus potest esse talis, ut quis faciat aliquid semel pro horâ totâ, pro die toto, pro mense toto. Certè eum, qui mane surgens, omnia sua dicta, facta, cogitata, totius sequentis diei, honori divino consecrat, nemo reprehendit. At quid iste facit tali consecratione, sat plerumque brevi? hoc nempe. actum consecrationis illius sat in se brevem vult extendi, ad totius diei omnia dicta, facta, cogitata, &c. quod, aliud est nihil, quàm consecrationis unum actum semel pro toto die facere, & extendere illum ad omnia dicta, facta, cogitata totius diei; ita ut perinde velit consecrans per actum hunc unum consecrationis affici omnia, sequentia, dicta, facta &c. ac si ad omnia dicta, facta, cogitata figillatim novus & novus consecrationis actus ab eo eliceretur. Nulli ergo mirum videatur ac insolens, suaderi hoc à me vel ab aliquo fieri, quod alioquin omnes vel faciunt

L 2

vel

169.

170.

vel facere deberent, sub alia formâ confusiore ac implicitâ, fortasse etiam incognitâ, & vi efficacique ejus ignoratâ.

INDUSTRIA XXV.

*Possumus & debemus crescere in merito, per
Augmentum Voluntarii, Deliberationis, Ele-
ctionis, Propositi, in nostris
actionibus.*

171.

Est indubitatum dogma, naturalique ratione notum, ibi esse plus Bonitatis aut malitiæ moralis, ubi est plus voluntatis: Ibi autem censetur plus inesse Voluntatis seu voluntarii, ubi plus censetur inesse advertentiæ, deliberationis, electionis propositi. Inde aliquis dicitur malitiosus, quia sciens & volens, ac prudens malefacit, de industriâ & proposito, quales Scriptura vocat venundatos ut faciant malum in conspectu Domini. tales vocantur inexcusabiles &c. E contra dicuntur aliqui boni & studiosi, quia scienter & prudenter, volenter, ex animi destinatione, consilio, delectu rectè operantur. Tales scriptura vocat, pulchritudinis studium habentes, potentes virtute, prudentes virgines, servos fideles & prudentes, viros secundum cor Dei, &c.

172.

Est igitur singularis, immo necessaria valde industria facere (& pati) omnia bona in vitâ quam quis vivit, ex industriâ, electione, proposito, intentione, destinatione animi, præviâ consideratione atque præmeditatione medi-
rum, finis, ordinis eorum inter se, executionis,
circum-

circumstantiarum occasionum, Sic enim agere, primò est proprium hominis rationalis, deinde est prudentis, deinde est Christiani & spiritualis & ex fide viventis, mortificatos habentis vel habere curantis affectus. Sic agere, est in merito crescere, est meriti (quantum ex parte hominis est) fundamentum omne supponere, & sementem facere. Ubi enim plus voluntarii & deliberati, ibi plus boni & honesti, consequenter plus meritorii esse debet.

Augere ergo voluntarium deliberatione, electione, voluntatis imperatione & affectione atque applicatione, est sementem meriti facere, & messem augere. Sic agere, est extra periculum mali successus esse: etsi enim forsan successus non is erit actionis qui sperabatur, erit tamen agenti bonus, quia actionis prudens fuit modus. Eventus autem actionum & consiliorum non est sæpe in nostrâ potestate, neque ex eventu judicari potest aut debet de consilio; cum sæpè optima consilia malè, pessima bene cedant. Sic agere, rarissimorum est, etiam inter bonos ac iustos, etiam inter eos qui videntur prudentes. Sic agere, omnino est necessarium, & maturè discendum. Sic agere qui scit, qui docetur, qui cupit doceri, beatus est. hoc est enim esurire, & sitire iustitiam, prudentiam, bonitatem, scientiam, sapientiam, & omnem virtutem. Sic agere neque ipsi Magistri sanctitatis atque prudentiæ spiritualis professores sciunt, certè non solent, & denique quod pessimum est, non amant, utinam & in aliis non carpant. Sic agere discet, curabit, assuescet, non erubescet, quisquis non dico humanè prudens, sed Christianè sapiens,

hoc est ; Sanctus Deiformis , perfectus fidelis Dei servus, bonus negotiator & Athleta esse volet.

173.

Hoc autem assequetur , si assuescet agere omnia ex præmeditatione , ex rationum in utramque partem dispectione & ponderatione, ex rationis lumine, ex mediolorum delectu, ex aliorum consilio, ex prævia oratione, ex affectûs omnis in alteram partem inclinantis denudatione, ex puro in solius Dei gloriam majorem intuitu, ex oblivione sui solatii, honoris commodi, spei ; & circumstantiarum circumspectione, ex resignatione in Deum & in ejus voluntatem perfectâ , ad omnemque eventum paratâ ; ex lumine & ratione fidei supernaturalis, ex rationibus sublimibus Heroicis ; ex consilio Dei, ex constantiâ & efficaciâ & vigilantia in executione & in mediolorum usu, ex affectu Voluntatis, prædictis omnibus obsequente, & in eo quod agitur vel agendum est , qualequale illud sit, dummodo Deo placere constet, sibi complacente & sese contentante.

174.

Ps. 5. 3. 8.

Ps. 27. 7.

Jo. 8. 46.

1. Petr. 2. 22.

Coloss. 2. 9.

Hanc rationem agendi, expressit David, cum dixit, *Voluntariè sacrificabo Tibi: Item, & ex Voluntate meâ confitebor ei.* Talem Christus, tum ipse servavit, tum nos docuit. Servasse palam est vel ex illis verbis. *Quis ex vobis arguet me de peccato? item ex illis, Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.* Et certè alia ratio agendi in eum cadere non potuit, in quo plenitudo divinitatis corporaliter mansit, & omnes sapientiæ & scientiæ Dei thesauri fuerunt ; & qui denique Sapientia æterna, summaque, ac prima, & omnis ratio fuit. Docuisse, plenum est rati-

bus

bus Evangelium, ac præcipuè illa ostendunt toties inculcata. *Attendite, Vigilate, Orate.* Item *Mat. 10. 16.* illa: *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbae.*

Item illæ de servis prudentibus ac fidelibus, de Virginibus prudentibus, de homine ædificante turrim, de Rege suscipiente bellum, de ædificatore domûs super firmam petram, parabolæ. Ad hanc etiam hortatur Apostolus Paulus, *Rationabile*, dicens, *sit obsequium vestrum.* Denique omnis Scriptura hoc docet, clamat, exigit. *Rom. 12. 1.*

Multa hic locus exigeret dicenda, sed non est instituti præsentis; & alibi de hoc actum aliquid speciali tractatu, de Consideratione Practicâ. Ad hoc hic tantum pauca. 1. Rectissimè facturum, si quis diebus singulis, aliquid temporis ponat, in consideratione practicâ agendorum, & actorum. In quem usum S. P. Ignatius, Societatis Fundator, horam Meditationis, & Examen quadruplici tempore repetendum præscripsit. horum enim (meditandi & examinandi) exercitiorum, nullus alius finis est, ex mente Sancti Patris, nisi præcognitio agendorum, & dijudicatio actorum, quomodo, quâ perfectione, sanctitate, profectu, &c. agenda sint illa, ista, hic & nunc, & quâ acta. Magnus ergo, & accuratus esse deberet in Societate, & inter omnes perfectionis studiosos, meditationis reflexivæ, & vitæ reflexivæ usus. De quâ re etiam alibi tractavi, & forsan hîc etiam aliàs tractabo.

2. Rectissimè faciet, qui Examen conscientia facere consuescet, non jam super acta, sed super agenda à se. Quod genus Examinis, in meditatione locum habere potest; sed sua serim alibi

etiam ex proposito factitandum esse. 3. Rectissime faciet, si singulis diebus, unum opus aliquod (aut etiam plura successu temporis & praxi accedente) assumat, & de illo deliberet juxta proximè dicta, An? Quare? Ubi? Quomodo? qua perfectione, sublimitate, quibus occasionibus mali vitatis, quâ sui victoriâ, quo aliorum fructu, quibus occasionibus bonorum usurpatis, in quem finem, in cujus Sancti, in quâ virtutis imitatione, præsertim Pretiosissimæ Parentis, & Christi, hoc vel illud sit faciendum. Sic enim si quis aliquandiu factitet, perveniet ad eam prudentiam, cautelam, circumspectionem, integritatem in agendo in omnibus, ut defectus in eo, ab aliis vix sit aliquando reperiendus.

177.

Alias Industrias, doceat unctio, doceat consideratio, doceat exercitatio. Hoc pro conclusione repeto. 1. Neminem sciturum ejus Industriae commoda, nisi qui eam exercere, & molestiam, laboremque, in eâ initio sese offerentem, devorare suaviter, prudenter, constanter, studuerit. 2. Duos scopulos hic vitandos moneo. Defatigatione natam desidiam, & actualem scrupulositatemque nimiam. 3. Ex electione & consilio, ex intentione & voluntate deliberatâ, supernaturali, agere; hoc omnino ad cooperandum Gratia, ad proficiendum in omni (ut breviter dicam) perfectione, necessarium esse. 4. Sancti Patris Regularum de Electione usum maximè huic Industriae exercendæ utilem fore, cujus etiam illa agenditatio præ oculis habenda est, quæ in ejus vitâ traditur. Omnia enim negotia Deo per orationem sic commendabat, atque committebat, ac si ipse nihil, DEUS omnia solus acturus

rus esset. Deinde verò sic omnia providebat & curabat negotio proposito opportuna, ac si solus ille omnia, DEUS nihil esset acturus. Hæc Sapientia est; qui legit, intelligat, & exercent.

Dabitur inferiùs Industria specialis Examinis super agenda à nobis: Ex quâ Spiritualis negotiator desumet usum ejus, quam nunc tradidimus, Industriæ. Ut enim agamus deliberatè, ex beneplacito, pleno assensu & electione; necesse est animum instrui, præcognitione atque præmeditatione agendorum, ad quod, nullum (post Divinam Gratiâ) efficacius est subsidium, reflexione & Examine prævio, cujus praxim, & modum, & materiam seriemque, Industria infra ponenda dabit.

INDUSTRIA XXVI.

Augere merita possumus per irritationem, & per applicationem Sensuum, vel Imaginationis, vel Rationis, ad ardua objecta.

INter alias rationes, quas ad exaggerationem excellentiamque meriti, ac valoris in operibus passionibusque humanis, tam homines, quam etiam ipse Deus attendere assolet, est etiam difficultas objecti, & operationis sive passionis. Quantò enim aliquid est difficiliùs actu aut perpeffu, tantò præstantius censetur, si vel fiat vel toleretur. In talibus enim actibus & passionibus, elucet firmitas constantiaque Voluntatis in bonum, & adhæsió ad Deum, ejusque Voluntatem, legem, ac placitum: quæ in facilioribus non ita apparet.

L 5

paret.

paret. Apparet etiam in talibus, conatus Voluntatis ingens, & pugna atque lucta pro bono, pro honesto, pro virtute, pro Deo & ejus Gloriâ, contra sensum, contra naturam, contra timorem hominum, contra amorem proprii honoris, vitæ, & aliarum rerum amabilium & pretiosarum mortalibus.

Eam ob rem DEUS, ut est in Scripturâ, Sanctis suis dat certamen forte, ut vincant, delictos suos facit ambulare per vias difficiles, ut virtus in infirmitate perficiatur. Ita Abrahamum Deus probavit, in Filii imperatâ immolatione, cum exaggeratis ad eò graphicè circumstantiis omnibus difficultatem facere natis, & vulgò solitis, ut nulla intermissa videatur. Quid enim hic deest; Tolle filium tuum, unigenitum, quem diligis, Isaac, & offer illum, super unum montium? &c. Ita Jobum per exaggeratam eluviam calamitatum. probavit, ut ejus narrat historia, ut tanto virtus appareret fieretque solidior, & meritum tam Abrahami, quam Jobi, cumulativè. Ob hanc causam, virorum Spiritualium, solidè & strenuè in spiritu proficientium, est consuetudo atque Industria laudabilis, & imitatione digna, ut actionibus & passionibus suis, quarant objecta difficilia & ardua, ipsaque si non sint, illi ipsi sibi faciant talia, idque vel augendo eorum difficultatem, vel proponendo ea exactè sensui, imaginationi, intellectui, vel exaggerando illa, vel lemetipfos irritando, sensusque suos & affectus provocando objectivè, & tamen frenando rationis & fidei lumine &c.

179.

Præsens ergo Industria docet, posse spirituales negotiatores, magnum sibi parare lucrum,

Irrita-

Irritatione sensuum, & affectuum suorum, per objecta proposita exactè, & tamen eorundem strenuâ compressione & victoriâ. v. g. Si quid ab aliquo, curiosi, novi, elegantis, domum afferratur, & spectandum proponatur, si qua persona Illustris pertranseat, si quod spectaculum hominibus gratum & novum exhibeatur &c. potest spiritualis vir & proficiendi strenue cupidus, suum appetitum & curiositatem irritare, laude, novitate, elegantia illius rei, illius personæ, illius spectaculi, potest desperatione futuræ occasionis similis &c. potest utilitate, & spe experientia, & notitiæ rerum, personarum, &c. & tamen post hæc omnia, potest sibi imperare abstinentiam aspectûs illius rei ob amorem DEI, ob odium & victoriam sui, ob honorem Sancti, &c. quæ victoria & abstinentia sic exaggerata & irritatione sensuum cupiditatisque aucta, longè erit amplior, Deoque gratior, & ad merendum efficacior, quàm si absolutè facta fuisset sine hac exaggeratione.

Similis Irritatio utiliter fieri potest, in irritatione Gulæ, appetentis cibum vel potum aliquem delicatum. Potest enim irritari objectatione, versatione, propositione, colore, saporis grati commemoratione &c. & tamen negari gustus ejus, gulæ & palato. qualis negatio longe est præclarior, quàm si simpliciter negaretur.

180.

Similis Irritatio sensûs Gulæ esse potest, cibi, vel potûs comedendi, dilatione & morâ, etiam brevissimâ, ut fervor gulæ retundatur, & ratio domina sensûs sit, & victoriæ sui propter Deum, vel propter sui odium, locus relinquatur.

Similis

Similis Irritatio, potest esse in afflictione corporali sensûs tactûs, puta corporis castigatone, si feriantur partes magis sentientes, si ad percussionem & dolorem advertat sensus & ratio, & non sinatur sensus auxilia per subtractionem advertentiæ, (qualis est naturæ usitata, dolori leniendo) advocare, si lentè & meditatè sese affligat, & ad sensum doloremque animum advertat. Talis afflictio corporalis, longè majorem victoriam de sensu reportat, quàm illa, qua fit tumultuariè, compressis dentibus &c.

Similis irritatio esse potest, quando aliquid agendum est contemptibile, confusivum apud alios, derogatorium honori & reputationi: tunc enim utile est amanti sui ipsius victoriam, ut objectum illud, ipse sibi exaggeret, proponat sermones hominum, judicia, nutus, notationes, insultationes æmulorum, ruborem suum & confusionem faciei, compassionem aliquorum, inquisitiones aliorum de causâ &c. & his similibusque propositis sese irretet, & tamen vincat, conculcet, amore Dei atque odio sui. talis namque vincendi sui ratio, non tantum ad magnitudinem meriti, sed etiam plenitudinem victoriæ, & pacificum de amore sui triumphum, valet quam plurimum.

181.

Similis irritatio esse potest, in illatâ tibi ab aliquo injuriâ condonandâ ex animo, vel in Caritate exhibendâ ei à quo læsus sis. Potest enim expendi injuria secundum circumstantias, Loci, Temporis, Personarum, animi, conatûs, sermonum humanorum; & tamen conculcentur omnia, & vindictæ appetitus conculcetur, & lædenti condonetur, vincatur in bono malum, ametur,

ametur ex animo reus, in amore Christi, & ejus vulneribus sepeliatur injuria, & injuriæ sensus; per merita & preces adversarii oretur, non illi injuria, sed DEI voluntati patiendi materia attribuat, & indignum te illâ fuisse, coram Deo, ex animo sentiatur. Nova insuper petatur materia, & tanquam merces, tanquam panis quotidianus à Deo postuletur, magnique loco beneficii Dei ac favoris ducatur. Nemini dubium est, quin hæc ratio condonandi injuriam sit locupletissima, & Deo gratissima. Par sit judicium de reliquis occasionibus.

Hujus Irritationis per istiusmodi propositionem, & exaggerationem, atque applicationem, habemus exemplum in Christo Domino, qui totâ vitâ suâ, propositam habuit sibi omnem seriem passionis suæ. Cujus propositionis effectum, in horto agonizans & sanguinem sudans semel ostendit, & deinceps ab illa hora usque ad mortem retinuit; cum alioqui, nullo negotio, animam à sensu dolorum & passionum omnium avertere, atque alienare potuisset.

Tali irritatione Sanctus Alexius, S. Joannes Calibita, vicit & triumphavit amorem parentum. Tali irritatione vicit B. Jacoponus cupiditatem edulii certi, ut est in ejus vitâ. Ad hoc etiam genus referri possunt illæ Sanctorum victoriæ, ut Sancti Francisci osculum leprosi, S. Xaverii & S. Catharinæ Senensis epotum pus atque sanies ulceris. In vita B. Aloysii nostri legimus, eum, cum de suis defectibus moneretur publicè, seriò & de Industria animum monitioni advertere solitum fuisse, ut magis confunderetur, cum alioqui facile posset animum alio avertere, ita ut nihil eorum

eorum quæ ipsi dicerentur, adverteret. S. P. N. Ignatius Jacobo Laynio dabat certamen forte, ut vinceret. *V. 2. p. Hist. Societ.* Idem S. Pater præcipit in Regulis Rectorum fieri *Reg. 29.*

183.

Id tamen monuerim, ut hanc Industriam, non faciliè Tyrones, & adhuc vivos affectus habentes, adhibeant. Talibus enim consultius est, non colludere cum hoste, neque infirmas suas vires spirituales, validis sensualitatis viribus objicere. Industria ergo hæc, bene proficientium, & perfectorum, aut propè perfectorum erit. Tyronibus, non faciliè, nisi de consilio Patrum spiritualium, quibus eorum dispositio nota sit interior, permiserim ac suaserim. Tyrones enim, ad sui victoriam, potiùs per propositionem facilitatum, quàm exaggerationem difficultatum, inducendi sunt. talibus enim lac dandum, non solidus cibus, nec eis omnia sunt proponenda statim, cum non possint portare, ut Christus de suis etiam Apostolis dicebat. Porro in materia lubrica, nulli quam diu in carne est, hujus Industriæ usum probaverim. Nimis enim est verum illud Sancti. Agonizantis jam, & tamen metuentis atque clamantis, *Adhuc igniculus vivit, mulier paleam subtrahere.* Item illud, alterius, de hoc genere licet Athletæ, *Vivere non licet, & lascivire licebit?* Itaque cum hoc genere hostis, non per irritationes sed per fugas & subductiones pugnandum censeo. Itemque cum aliis hostibus nostris, eodem ingenio præditis, si qui forsitan sunt, uti fortassis sunt: maximè si ad particularium personarum speciales circumstantias attendatur. Quippe contingere assolet, quòd aliquis sit in reliquis strenuus, solidus, robustus & se-

& securus, in uno autem aliquo objecto, vel affectu, sit valde infirmus, & labilis, & ideo, ab ejus occasione submovendus.

INDUSTRIA XXVII.

Possimus crescere in merito, non intendendo nec intuendo meritum.

184

GRatis Deo servire, tanta res est, ut nesciam an sit aliqua ratio Deo serviendi sublimior; & an ipsa Caritate purior atque defecator. Norunt eam viri spirituales, nec eam explicare opus est in præsentia, etsi non negaverim, eam esse tam raram, ut ausus sit Thomas de Kempis alicubi exclamare; Ubi invenitur talis qui Deo velit servire gratis? Diabolus certè in omni vita Jobi, nihil, quod calumniari posset, invenire potuit coram Deo, præter illud: *Nunquid Job gratis colit Deum?* Quem locum expendens Augustinus, & se & omnes Christianos confundit, quòd à Diabolo debeant discere, Gratis Deo servire. Et utinam discamus vel ab illo, nihil enim obstat, vel ab hoste veritatem audire, virtutemque discere.

Hac Industria præsentia, hoc suadeo Negotiatori spirituali, ut Deo serviat gratis, hoc est non per respectum ad meritum, sive Gratia, sive Gloriae etiam æternæ. non quòd propter augmentum Gratia vel Gloriae Deum colere, sit malum: est enim optimum, sed quòd non sit gratuitum, quòd involvat hominis commodum summum, ac proinde non planè ab amore concupiscentia defecatum. GRATIS DEUM colere

colere oportet, gratis amare, ita ut efficiatur in nobis illud Bernardi, *Causa diligendi Deum*, Deus est, *modus sine modo diligere*. & illud: *Amo, quia amo*, & *amo, ut amem*, *Causa mihi Amoris*, amor; *premium amoris amor*.

185.

Mitto alia quæ legi possunt apud Augustinum, Chrysoft. & alios, de gratuito amore Dei, ad meum propositum redeo. Inter alia exercitia sua, habeat vir spiritualis hoc etiam unum, ut voluntatem concipiat eamque inviolabiliter teneat, ac Deo protestetur. quod gratis Deo servire in omni vitâ suâ, in omni actione & vitæ suæ velit. Hoc est, quod per omnem suam vitam, & per omnes actiones perpersionesque suas qualescunque, non intendat ullum bonum à Deo, quod non sit ipse Deus; quodque nec ipsum meritum intendat; aut si meritum intendit, quod illud non intendet, quia & quatenus meritum est suum, sibi vè proficuum, sed quia Deus sic statuit, ut mereatur vel ut propter meritum operetur; & quod ipsum mereri, non propter mereri intendat, sed propter Dei placitum atque gustum.

186.

Hæc operandi ratio est magni apud Deum meriti, sed si ita adhibeatur, ut in ejus adhibitione, non spectetur ratio magni meriti. Possit enim quis (quod cautè est advertendum) ideo velle operari non propter meritum, ut hac operatione majus acquirat meritum, quod esset illud forium & contra intentum. Quare, sincere secum, & cum Deo debet agere animus, ut in non quærendo merito, verè non quærat meritum: neque ideo non quærat ullum, ut inveniat majus, sed ideo nullum quærat, ut tanto grati-
tius

tius & purius solius Dei gustum & placitum ex-
pleat. Licet cum hoc stare possit, quod per
hunc operandi modum, majus meritum acqui-
rat, & acquisiturum se speret, dummodo ac-
quirere non intendat, neque ex spe (esto cum
spe) acquirendi operetur. Nunquam enim sine
præmio diligitur Deus & servitur Deo, licet
non propter præmium diligatur, eive serviatur.
Immo, tunc maximè non sine præmio diligitur
Deus, & servitur Deo, quando maximè non
propter præmium diligitur. Sicut è contrà tunc
maximè sine præmio diligitur, quando non sine
præmio sed propter præmium diligitur. Talis
namque Dilectio, quæ propter præmium fit, mi-
nimum præmium meretur & accipit. Quare
non est propter præmium, sed sine præmio di-
ligendus, ut non sine præmio diligatur: non est
propter meritum ei serviendum, ut non sine
merito ei serviatur. *Non enim (ait Aug.) ad præ-*
mium est diligendus Deus. Colis non gratis, si colis ut
aliquid ab eo accipias. Gratis cole, & ipsum accipies.
& quod dulcins a Deo præmium, quam ipse Deus?
Hæc Augustinus.

Lib. 50. Hom.
Serm. 38.
Serm. 32. de
Temp. 14.

At Chrysostronus insuper asserit, Hoc ipsum
esse debere nobis maximi præmii loco, quod
possimus Deum colere & illi servire, nec aliud
debemus à Deo amoris in Deum nostri præmi-
um expectare, quàm hoc, quod DEUS à
nobis amari dignatur, quodque sibi à nobis
serviri patitur. Verba Sancti sunt. *Quid igitur*
agis ò homo? quid ineptis? ad hoc conditus es, ut
conditori tuo placeas, ut Domino tuo servias; &
tu de mercedibus cogitas? Si omnino dignus fueris

186.

Lib. 2. de
Comp.

V.P. Druzb. Op. IV.

M

ter

agere aliquid quod placeat Deo; aliam adhuc, præter hoc ipsum, quod placere meruisti, mercedem requiris? Vere ignoras, quantum bonum sit placere Deo &c. Nescis quia major tibi augetur merces, quando non spe mercedis operaris, sed studio placendi.

Ex his patet, quòd hâc Industriâ suademus, magnum esse crescendi in merito compendium, non quærere meritum, sed ita, ut ipsa non quæsitio meriti, non fiat propter majus meritum, verùm ita, ut idè non quæramus meritum, quia solius Dei placitum & gustum gratis explèsse, est nobis super omne meritum.

187.

Hujus Industriæ hæc praxis esse poterit. Domine Deus meus, quidquid facio, quidquid patior, quidquid faciam, pati arve unquam, quocunque modo; totum puro, nudo, gratuito Amori tuo consecro. Non meritum cupio, sed tuum gustum intendo. Ipsum meritum quod consequor, tuo gustui consecro. Ipsum, quod mereri non intendo, aut quod tuo gustui consecro, non propter majus meum meritum, sed propter plenius suaviusq; tuum placitum, tibi Dignissimo Deo, semel pro semper consecro, & Tibi, etsi non absque spe, attamen perinde, ac si absque omni à te præmii ac boni spe, gratis, pure, ac nude servio, servireque in æternum volo. Sufficit mihi, placuisse tibi; non tamen, quia placuisse tibi Bonum mihi, sed quia gratum ac placitum tibi. Amote, quia mihi places, ut tibi placeam, ut mihi placeas, non quia id bonum mihi, sed quia id debitum tibi, quia dignum te, quia bonum & gratum & placitum tibi; & denique ut sit bonum, gratum, gustabile, placitumque Tibi.

INDU.

INDUSTRIA XXVIII.

*Ut actus nostri sint meritorii, utq; Industria
nostra utiles, oportet, ut sensum & notitiam,
actuum, affectuum, verborum, mens nostra veram,
formalem, vivacem habeat, tunc
quando illos & illas
exercet.*

VSitatum est inter homines, bonorum operum
meditatores, propositores, immo etiam
practicatores atque factores, quod mentis suæ
mentem, verborumque suorum sensum non te-
neant, linguamque (ut ajunt) suam non intelli-
gant. Atque hoc contingere, vix ullus est (exi-
miè diligentes in suis actionibus, libens excipio)
etiam spiritualis homo, qui non experiatur. Nam
v. g. quis ita accuratus est recitator Psalmorum
Davidis, ut ubique attendat, & efformet in ani-
mo suo, veram & vivam Davidis mentem atque
affectionem? quis dum ab aliquo alio conscriptas
recitat orationes, expendit considerationes, con-
cipit proposita? quis, inquam, in eis, non dico
Auctoris, sed suam mentem propriam assequitur
& advertit? Quàm sæpè experimur, nos, quan-
do in Oratione, à nobis etiam factâ, dicimus:
Amo te Deus meus, Doleo quòd te offenderim,
Detestor peccata omnia, Æstimo te super omnia,
Propono hoc vel illud vitare, in eo me emenda-
re, Fiat Voluntas tua sicut in cœlo & in terra, Vias
tuas demonstra mihi, Fac me JESU Christo
Crucifixo, pauperi, contempto, dolenti similli-
mum, Condono propter te omnes injurias. Fac

M 2

me

188.

me aliquid hodie propter te sustinere adversi sensui, ac voluntati meæ &c. quàm sæpe, inquam, experimur, nos, dum talia similiaque proferimus ore, ac fortè etiam aliquomodo mente, tamen horum omnium vivacem, immo nec realem formalemque apprehensionem ac sensum in animo habere. Quo fit, ut passim orationes, proposita, affectus, postulataque nostra, licèt naturâ suâ & ex vi verborum, quibus concepta scriptavè sunt, sublima & defæcata atque heroica sint, tamen efficaciam, fructu, gustu, præmio apud Deum careant. Non ob aliam utique causam, quàm quia vitam & formam in mente nostrâ non habent, quam si haberent, efficaciam quoque haberent, & partim in voluntate nostrâ habitum generarent, partim à Deo impetrarent, partim solidarent animum, partim ferax meritum conquirent, partim novas gratias obtinerent &c.

189.

Præsens igitur Industria hoc docet primò, ut quando sive Orationes, sive proposita, sive promissiones, sive affectus prosecutivos vel detestativos facimus, ita faciamus, ut non solum verbis strepamus sonemusque, sed veram & formalem in mente apprehensionem, sensumque orationis, propositi, promissi, affectus, exaggerationis, sublimationisque habeamus, exque illâ verâ ac formali apprehensione loquamur. Ad quod proderit, prius mente quàm ore & verbis orare, proponere, loqui: proderit non festinanter facere, atque orare, sed lentè, & quasi noviter, & nunc primò, antea nunquam hoc oraverimus, proposuerimus &c. proderit non ex imaginariæ memoriæ, sed ex reflexâ rationis recordatione, vel novellâ

vellâ efformatione, conceptioneque orare ac proponere. proderit ex scripto potius quàm ex memoriâ habituatâ, ideoque parùm attentâ orare atque proponere.

2. Docet hæc Industria, ut præter jam dictam, veram, formalem, propriamque apprehensionem eorum, quæ oraturi aut proposituri sumus, curemus insuper, habere vivacem, penetrativam, & efficacem, atque si fieri potest, ipsisme verbis latiore in mente sensum apprehensionemque eorum, quæ oraturi propositurique sumus. Ad quod, maximè proderit usus attentionis, intentionis, fervoris, reverentiæ Dei; proderit item maximè fuga festinationis, & notitia reflexa ineptarum ridicularumque (ut plurimum) causarum, quam vel mens ipsa, vel affectus impotens, vel cura pungens, vel Diabolus insidians obtendit festinationi. proderit fuga arcti temporis, quæ sit causa festinationis. proderit etiam fuga illius avaritiæ, quæ multa expedire dum vult, festinat, non attendit, linguam suam non novit. proderit persuadere sibi, & hac persuasione regi, quod melior sit semel Oratio Dominica dicta debite, quàm centies dicta indebite: quomodo ordinariè dicuntur, quando ex usu, & multæ, & in brevi tempore, & citò dicuntur, nullo alio fine fructuque, nisi ut expediantur.

Similiter unum propositum factum attentè, 190.
deliberatè, advertenter, applicatè, intensè, devote, ardentè, reverenter, exaggeratè, depuratè, sublimiter, heroicè, fœcundè, humiliter, constanter, resolute, resignate, charitative, plus apud Deum valet, plus illi placet, plus me-

M ; retur

retur gratiæ & gloriæ, plus animo & voluntati elicentis prodest, quàm centum proposita, facta tumultuariè, citò, mente festinante, vagâ, tempore stricta. Idem iudicium sit de aliis. Quando ergo orantes dicimus v. g. Pater noster, adveniat regnum tuum; præsentî & intelligenti mente dicamus, & mente concipiamus cognitionem adventumque regni Divini: aut etiam conceptum adventum divini Regni, æstimemus, desideremus; & desideremus humiliter, ferventer, heroicè; desideremus nobis, & omni animæ, omni creaturæ, omni tempore, in omni loco, actu, officio, circumstantiâ. desideremus, quia dignus est Deus, quia hæc creaturæ felicitas &c. Quando item dicimus, Fiat voluntas tua &c. intelligamus hoc mente, *Fiat*: petamus hoc, *Fiat*: amemus hanc voluntatem, submittamus illi nos & omnia nostra, creaturas & omnia earum: felicitatem, & vitam ponamus in hac Voluntate, extra illam infernum & mortem: desideremus illam semper, pro omnibus, ubique &c. Quando dicimus: Deus meus amo te super omnia; revera actum formalem amoris Divini habeamus, & revera talem, quo super omnia Deus appetitur. Item quando dicimus: Offero me totum, totaliter, tibi dignissime Deus; sit in mente & voluntate realis formalisque actus oblationis, & Deus qui dignissimus dicitur, dignissimus censeatur. Item, quando dicimus, Domine utere me ad humiliandum me & exaltandum te valde, sicut scis & vis: sentiamus & sciamus verè formaliterque illius vocis sensum (ad humiliandum me) ut verè vilificationem optemus, verè conculcari,

9. 3. 1. 1. 2.
 1. 1. 1. 1.
 Operi. 1. 1. 1. 1.
 Tom. I
 M. V
 56

culcari, despici, contemni propter vilitatem nostram, Deique amorem ac Christi imitationem velimus. Sentiamus item & gustemus animo exaltationem Dei, etsi propter illam millies & in summo gradu humiliationis nos humiliari sit opus. Sentiamus præterea in animo, plenitudinem sapientiæ potestatis divinæ supra nos, eique totaliter ad omnem usum, conditionem, faciem, speciem, individualem, sensitivam, æstimabilemque exaggerationem resignemus, & in æquilibrio ad nutum voluntatis ejus adorandæ ponamus, quia hoc illis verbis (sicut scis & vis) dicimus. Atque eadem sit reliquorum nostrorum affectuum, propositorum, orationum, & orandi modorum ratio: five ii nostri sint, five alieni, ab aliisque à nobis usurpati.

Quæ res non fatigat animum, neque vires corporis, si prudenter fiat, quia revera fieri potest absque molestiâ & fatigatione: fieri autem debet necessariò, si fructuosos labores istiusmodi nostros esse volumus. Neque est periculum (quod aliquos forsan efficere solet) ne si hac ratione oremus, proponamus, affectus eliciamus, &c. non possimus multas orationes, multa proposita, multos actus, multos affectus facere. Inprimis enim ut prædixi, præstat paucos facere actus, bonos & perfectos, quam plures imperfectos. tum quia unus ille, per se prævalet his omnibus, tum quia in uno illo bono & perfecto, si advertamus, inveniuntur multi boni atque perfecti, integrantes perfe-

ctionem unius totalis, principalis, & quandoque longe plures ac insigniores, quam forsitan illi fuissent, quos ob moram circa unum, ut nobis videtur, perfecte & accuratè faciendum omisimus: tum quia uno illo perfecto, melius perficitur & habituatur Voluntas in bono, & in Deo, quàm fuisset per illos plures, immo per plures illos festinè aut perfunctoriè factos; disposita potius fuisset malè & ad malum, nempe ad perfunctoriè agendum. Deinde faciendò paucos sed perfectos actus, discit mens & anima nostra ejusque potentia, multos & similes & alios agere æquè, bene & exactè. illa enim diligentia, & perfectionis in actibus cura, quæ initio apparet gravis, morosa, infæcunda, usu efficitur levis, habitualis, facilis, jucunda, facunda, frequens, & frequentandi facilitate utilissima. Neq; enim putare debemus, quòd solum negligenter agendo, discamus agere negligenter, etiam enim diligenter agendo, consuescimus agere diligenter. Quare, nemo hoc periculo moveatur ad sterilem illam festinationem: potius his, quæ dixi, quæque docebit (vera esse) experientia, excitetur ad actuum perfectionem.

192.

Neque tamen per prædicta vellem alicui suadere, putidam immorationem in orando, in legendis precibus Canonicis, dicendo Sacro, recitandâ Coronâ, ubique enim discretionè opus, etiam in ipsâ diligentia, etiam in ipsâ devotione. Non enim imprudenter dixit, qui dixit, Odi nimium diligentes. Quare quando longiuscula est actio, & tempore
cir-

circumscripta, vel per legem, vel per alia negotia, vel per decorum vitæ communis ac socialis, in ea pergendum est eo modo, quo prudentes, pii, timorati, & perfectionis studiosi solent.

Addo præterea, non inutilem observationem; esse etiam quoddam festinationis genus bonum, quod à vehementia & fervore ignescentis affectus nascitur: quod expertus est & expressit David, dicens. Lingua mea, calamus scribæ velociter scribentis. Quod expetiit Sponsa, quando petiit, Trahe me post te: curremus in odorem unguentorum tuorum. Quod experiuntur ii, in quorum meditatione exardescit ignis. Et sic existimo Paulum festinasse, quando illa dicebat. Quis nos separabit à Charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? &c. Ergo festinare quandoque licebit, sed festinatione, non ignavè & negligenter agere assuetæ mentis, sed festinatione concalescentis cordis, & excedentis Deo mentis: quæ si festinat in orando, afficiendo, proponendo, festinat ideo, quia plena est; festinat, quia plenè & clarè & ignitè, ea, quæ festinatò agit, penetrat; festinat, quia verbum bonum eructat; festinat, quia unctio celerem ad motum fecit. Sed hæc hæctenus sint satis ad persuadendum, ut mens nostra cum verbis suis intimam & veram habere curet concordiam, & non tantùm non cogitet aliud quàm loquitur, sed etiam, ut hoc, quòd loquendo cogitat, cogitet formaliter, vivaciter, expressè, exaggeratè, deliberatè.

M s

Hæc

193.

Hæc Industria usum sui habebit utilissimum in plerisque sive præmissis sive subtexendis Industriis: nisi enim ejus in illis habita fuerit ratio, ferè nullus earum fructus erit: omnes siquidem vigorem & efficaciam ab hac accipere debent, atque adeo etiam omnes istam supponunt. Quod consultò adjeci, ut hujus Industriæ usum, tantò efficacius explicarem, atque explicando persuaderem. verè enim sic res habet & non aliter, ut experienti patebit.

INDUSTRIA XXIX.

In Actionibus nostris anticipare; punctualem esse, ultra tempus morari, item agrè & tardè agere, easdem præscindere ac breviate, summi meriti est.

194.

HAc unâ Industria quinque modos & veluti Industrias crescendi in merito per nostras actiones expediam.

Prima est, agere quæ agere debemus (ex obedientiâ, vel sponte, vel aliâ quâvis causâ) in puncto temporis, quo agenda est aliqua res. Hanc rationem agendi S. Pater noster Ignatius præcepit Societatis hominibus, quos vult, audito signo alicujus rei agendæ, statim convolare ad illam agendam, etiam literâ inchoatâ imperfectâ relictâ, sive lecta, sive scripta ea sit.

Talem

Talem punctualem operum peractionem servasse videtur Patriarcha Noë, de quo testatur Sacra Scriptura, quod *in articulo diei illius*, quo iussus est à Deo arcam intrare, ingressus sit. Eandem rationem suadere videtur Sapiens, quando monet? *Particula boni doni non te prætereat.* quasi dicat: Si quid boni acturus vel donaturus es Deo, vel certè si quid doni à Deo percepturus es in ejus servitio, vide, ut ad punctum accurras, nec vel primam, unamve particulam boni doni negligas offerre, aut accipere. Similis punctualis executio atque operatio innui videtur, in illa parabola de decem Virginibus, præcipue in illis verbis, *Mediâ nocte clamor factus est, Ecce Sponsus venit, exite obviam ei, Tunc surrexerunt Virgines illæ: Tunc*, dicitur, quasi illo eodem puncto momentoque temporis. Similiter & in illa frequenti Dominica exhortatione, qua exhortatur servos fideles & prudentes ad vigilandum, ut in *quacunque horâ Dominus revertatur à nuptiis, confestim aperiant ei.* Christo quoque Domino familiare illud: *Nondum venit hora mea, Hæc est hora vestra: Propterea veni in horam hanc: Venit hora. Exiit summo mane conducere operarios. iterum exiit horâ 3. &c. tempus meum nondum advenit &c.* Salomon quoque, *Fili*, ait, *Observa Tempus.* Permagni ergo meriti est apud Deum, ad punctum agere quæ agenda sunt, & non ea tantum quæ agendo sunt ex obedientiæ præscripto, sed etiam ex proprio arbitrio, ex voluntaria dispositione, ex Caritatis fraternæ studio. estque hoc, tum signum, tum exercitium Domini super se, mortificationis-
que

que affectuum, etiam in rebus non illicitis, quæ est rara Virtus.

195.

Secunda est, agere anticipatò, hoc est, etiam non expectato tempore præscripto, vel spontè designato, nisi aliquid obstet, cujus sit ratio habenda, vel nisi anticipatio vitiosa sit; ut esset in delectabilibus sensuum, vel laudem admirationemque hominum parientibus: in his enim non anticipatione, sed potiùs mora est utendum, ut infrà dicitur. Causa hujus anticipatè agendi modi est, quia qui citò dat bis dat: hoc est, quia anticipatio illa fervorem & alacritatem cordis designat in seruo Dei: hilarem autem datorem diligit Deus, & solutio anticipata, gratissima est, tum apud omnes, tum apud creditores negotiatoresque præcipuè, & provocat ad credendum creditorem; Fidelitatem enim & securitatem creditori facit, & timorem molestiæ in exigendo debito adimit; quod ipsum homo respectu Dei dum facit, non potest DEO non placere, consequenter, non possunt hi anticipati actus, Deo non esse gratissimi, summique apud Deum meriti.

Bonus ergo Negotiator Spiritualis, opera sua, quæ Deum, quæ proximi charitatem, quæ laborem, quæ molestiolam concernunt, & in quibus anticipatis nihil sensui, vel proprio compendiolo indulgetur, curet facere, atque inchoare anticipatò, neque signum faciendi expectet, sed antequàm ipsum signum detur, jam paratus sit, vel etiam jam inchoasse, agere à signo agendi inveniat.

niatur. Exaggerabitur enim per hoc obedientia, Charitas, fervor, disciplina exactio, vitæ communis observantia, fidelitas, &c. accedet exemplum bonum communitati fratrum &c. ? recedetur procul à tepore, à dilatione &c. vitabitur illud, quod Sapiens in pigro servo notat, horâ surgendi non terices ad parietem; implebitur verò illud, quod idem laudat in ferventi servo; Vidisti servum velocem in opere suo? coram Regibus ministrabit. Et verè dignus est Regali obsequio, qui anticipare consuevit in officio. Hanc anticipationis consuetudinem de se ipso David confitetur, Et scilicet nobis commendat cum ait: *Præveni in maturitate & clamavi. Prævenerunt oculi mei ad te diluculo. Præoccupemus faciem ejus in confessione.*

Tertia ratio est, agere cum prolongatione & protractione temporis, quo aliquid agendum est, ita, ut non tantum non brevietur tempus, non tantum non in puncto cessetur (nisi id quoque ut cessetur, obedientia cogat, vel ratio dicat, hinc & nunc) sed ut paululum etiam producat, ut sit opus supererogatorium, ita ut sit mensura operum nostrorum non tantum plena, sed etiam coagitata, supereffluensque & conferta. Hæc ratio, in iisdem objectis habet locum, in quibus & præcedens, non habet verò in quibus & præcedens. hanc rationem, servatam passim, commendatamque in gestis Sanctorum leges; quod nempe primi & ante tempus etiam, ad opus, ad laborem, ad vigiliam, ad ministeria fratrum, ad Psalmos, ad locum penitentiae, ad Orationem
con-

196.

convolarint, ultimi verò ab his discedere soliti fuerint. Est enim hæc agendi ratio signum fervoris, fidei, obedientiæ, infatigabilis animi, infatiati obsequio Dei cordis, perseverantiæ.

Hanc rationem & exegit & sine præmio non futuram promisit Samaritanus ille piissimus, qui dixit stabulario de ægroto, *Curam illius habe, & quodcunque supererogaveris, ego cum rediero, reddam tibi.* Hoc etiam videtur innuere illa parabola seminis in terram bonam lapsi, *quod affert fructum, non tantum simplum, sed trigesimum, sexagesimum, centesimum.* Hoc & illa distributio pecuniæ ad usuram videtur velle.

197.

Quarta ratio est, agere cum aliquâ morâ & dilatione, hæc locum habet in delectabilibus objectis, in sensualibus, in parientibus commendationem laudemve, in iis, ad quæ inordinatiùs propendere nos sentimus, ut sunt cibi sumptio aut potùs, præsertim cum vel sitis, fames, vel cupiditas inordinatiùs urget, frenanda enim est impotentia, per moram aliquam spontaneam. Item recreationes, spectacula festiva, curiosarum rerum aspectus, auditus &c. aggressio officiorum vel operum speciosorum, prolatio alicujus sermonis vel dicti arguti, acuti, ingeniosi &c. narratio alicujus rei cum laude propriâ conjunctæ. In his, & similibus mora, dilatio, repugnantiaque est laudabilis; modo, ne sit fastidiosa, affectata, refractaria obedientiæ, & in damnum (spirituale præsertim) tertii. Sic Saul declarandus Rex populi Israël, abscondit se. Sic, unctus in Regem, illico

illico rediit ad greges ovium pascendos. Sic, Christus rapiendus ad Regnum fugit, qui rapiendus ad crucem, spontè obviam ivit raptoribus.

Quinta ratio est, Agere cum abbreviatione, tum temporis, tum actionis ipsius. Habet ratio ista locum in iisdem, in quibus proxima. Quæ enim sunt illius generis, hæc, sicut ægrè sunt inchoanda, ita ægrè continuanda, ægrè ad finem, & quidem quamprimum (salvis salyandis, puta obedientiâ, charitate, idemnitate,) deducenda. In talibus, dum aguntur, gustus est subtrahendus, voluptas & complacentia, vel impedienda, vel retundenda ac diminuenda, vel perpetienda tantùm, & quamprimùm excutienda, juxta illum S. Aug. in cibis sumendis (& eadem servari debet in reliquis delectabilibus) regulam. Ait ille ad Deum: Hoc me docuisti, ut alimenta tanquam medicamenta sumpturus accedam. Hinc illa tædia Sanctorum super cibos, super officia honorata, & pralationes, hinc fugæ ab officiis gestis; hinc fuga in loca ignota, si quando in suis inclaruissent plus, quam vellent.

Fundamentum autem hujus totius, in his quinque modis agendi traditæ doctrinæ, est illud, quod alicubi S. Greg. observat. Docet ille; Obedientiam, aliquando debere habere aliquid de suo, hoc est, de obedientis appetitu & inclinatione; aliquando nihil omninò. Si obedienti imperentur vilificantia ipsum, molesta, ardua, laboriosa; ad hæc advolare, festinare; in his hærrere, & morari sponte & libenter debet; hæc etiam ambire, ex odio sui, & studio contemnendi affligendique sui potest, immo debet. at verò si

obe-

198.

obedienti imperentur delectabilia, speciosa, grata; ab his refugere, ad hæc, ægrè, cum repugnantia (subjecta tamen cui subijcienda est) accedere debet, in his affici ratio, his liberari, cupere debet, & pro suo posse curare, & cum potest licitè, excutere ac fugere.

199.

Fundamentum hujus ipsius est, quia quæ sunt molesta & vilia, ab Amore proprio plerumque fugiuntur. ergo strenuus pugil, ut amori proprio ægrè faciat, utque seipsum vincat, ad ea festinat, eaque ambit, quæ sensui, honori, voluntati, iudicio, famæ, vitæ commodis, proprioque amori sunt inimica: sic enim ab amore proprio fit remotissimus, & consequenter tutissimus, Christoque simillimus. E contra, quæ sunt mollia, grata, honorifica, placita, quæ amorem proprium pelliciunt & irritant, ad hæc ille festinat, hæc ambit. Strenuus ergo bellator, ut hinc quoque amori proprio, offam cupitam subtrahat, ab his penitus refugit, & repugnat; & nisi cogatur, vel naturæ, vel obediendi, vel Caritatis necessitate, illa ne quidem attingit, & in his coactus ac gemens hæret: hæc, quodocunque potest licitè, excutit, ut à periculo serviendi amori proprio, remotissimus sit. Inde est, quòd ad ea, quæ vel sunt inimica amori proprio, vel nihil ei commedi afferunt, vir spiritualis, & sponte & anticipatò, & libenter vadit, in iisque moras trahit, tanquam in suæ securitatis regno, ad ea verò, quæ sunt amori in deliciis, non nisi tardè, & cum morâ, atque invitus ac gemens vadit; ab his verò,

tan-

tanquam ex laqueis & retibus Diaboli, libentissimus abit.

Quod autem dixi proximè de obedientiâ ex S. Gregorio, hoc ipsum dico de omni opere, quodcunque Virò spirituali agendum est, vel ingratum sensui amorique, vel gratum eidem. In illo enim multum de suo, in isto autem nihil de suo affectu & conatu debet habere, ad illud anticipare, vel in puncto saltem temporis advolare, & tarde ab eo abire debet; ad istud agrè pertrahi, agrèque illud sustinere, & denique, cum primùm commodè, id est licitè, potest excutere.

INDUSTRIA XXX.

Per substitutionem voluntariam vocis, aut signi unius pro multis actionibus, copia meritorum compendio conquiri à nobis potest.

Est apud Philosophos nota doctrina, Voces humanas esse signa ad placitum, quibus homines inter sese sensus animorum suorum communicant. Esse autem signum ad placitum, vel ex placito, est secundum eosdem aliud nihil, quam convenisse & conspirasse, propriæ voluntatis libero placito homines, ut

V. P. Druz. Op. IV.

N

hæ

209.

hæ tales, ex his vocibus, literis, syllabisque sic coordinatis ac conjunctis dictiones, aut orationes, sint talium conceptuum suorum interiorum, taliumque rerum, talium Voluntatum signa; ita, ut iis ab uno prolatis, ab altero autem cognitis, alter ille, cognoscat sensum animi proferentis. Inde factum, ut v.g. hæc vox (homo) significet eam rem, quæ Latinis homo, diciturque animal rationale &c. & qui audit ab alio efferri hanc vocem, homo cognoscit eum loqui de animali rationali.

201.

Hæc porrò applicatio vocum voluntaria, & ex placito hominum profecta, ad aliquid significandum, puta ad conceptus mentis, aut ad res conceptas à mente, potest servire, non tantum vocibus atque verbis, sed etiam aliis quibuslibet rebus ac notis, ut in communi hominum usu facile, videre est. Sic enim, ut significetur, in aliquâ domo venale esse vinum, pro foribus exponitur hedera, quæ significet venale hic vinum haberi. Sic ut significetur, aliquem hujus aut illius esse familiæ atque prosapiæ, adhibetur tanquam signum stemma gentilicium, ab illâ familiâ olim deletum, & omnibus ex eâ originem ducturis, in notam, & signum, & insigne relictum. Sic ut Arithmetici designent multitudinum speciem quamlibet, invenerunt notas, unicuique pluralitati unitatum designandæ servituras; quo fit, ut si unitatem designare velint, forment figuram.

guram. I. Si velint designare unitates quatuor, forment figuram 4. &c.

Atque hic usus signorum ex placito, tum notissimus, tum utilissimus est vitæ humanæ, adeo, ut sine eo, nullo modo vitæ socialis status, inter homines consistere possit, ut consideranti, facile constare potest.

Cæterum hunc usum signorum ex humano placito, sive ea signa sint voces, sive res, sive notæ aliquæ, sive etiam actiones & opera, sive passionis; possunt spirituales negotiatores meâ quidem sententiâ ad usum suum convertere, ita, ut ex eo magnam profectuum fructuumque spiritualium, hoc est, meritorum apud DEUM, messem colligere possint, & quidem parvo labore, magno compendio.

Quod antequam exponam, revoco in memoriam lectori, hoc, quod suprâ Industriâ 9. de nostræ Voluntatis naturâ & fecunditate exposui, quæ tanta est, ut tantum possit, quantum sibi imperat, immo, hoc ipso, quod tantum sibi imperet, seu quod tantam se esse imperet, tanta hoc ipso sit. Imperium enim ejus, Volitio est, si ergo imperat sibi ut tanta sit, tantam se esse vult: tanta autem est, quantam se esse vult, ac proinde tanta est, quantam

202.

N 2

se

se esse sibi imperat. His positis ac revocatis in mentem, Quoniam Voluntas, semper tanta est, quanta esse vult, (cùm hoc illi sit esse quod velle) & quoniam verba, res, actus, notæ, possunt esse signa earum & tantarum rerum, quantarum & quarum placet Voluntati nostræ; igitur, si Voluntas nostra delegerit sibi vocem, rem, actionem aliquam, quæ sit signum talis sui affectus vel tanti, à se elicitum aut imperatum quoties voluntas usurpaverit illam vocem, illam rem, illam actionem, toties censebitur talem affectum atque tantum elicuisse aut imperasse. Exemplis res fiet manifestior.

03.

Placuit hominibus, ut genuflexio sit signum ad placitum reverentiæ DEI, subjectionis, humiliationis, circumstantia orationis & habitus supplicantis; Genuflexio nec diuturna esse potest, nec frequens, nec ubique locorum, nec quovis tempore eam fieri convenit, neque cui libet per vires, valetudinem, ætatem licet. Placeat ergo Voluntati ambulationem Genuflexioni substituere, (aut stationem, aut alium quempiam actum) ita, ut sicut quoties genu flectit coram DEO: toties honorem exhibuisse censeatur, aut censeari vult DEO, sic etiam quoties gressum seu passum fecerit, censeatur vel censeari velit honorem DEO fecisse, se humiliasse, orantis habitum induisse. In hoc casu, dico, tantundem valituros & meritorios Voluntati seu homini spirituali apud DE-
Deum

Deum passus & gressus, quantum genuflexiones; tantum ambulationem, quantum supergenua innixionem cæteris paribus. Ratio est, quia tam illi passus, quam istæ geniculatio- nes sunt signa ad placitum. ex eadem ergo voluntate eundem valorem habebunt, &c.

Aliud exemplum sit. Induit aliquis justus vestem cilicinam, aut cingulum, mortificandi sensûs gratiâ, subjiciendique spiritui, aut impetrationis alicujus, in honorem, in Caritatem Dei &c. non dubium, esse id apud Deum meritum. Si tamen voluntas utatur hâc Industriâ, & ipsa apud se statuat, quemlibet nodum cilicii, vel acumen sive pili sive ferrei fili, applicare carni per ordinem cum majori fervore Caritatis, & in majorem exaltationem dignificationemque Dei, ita, ut primus nodus, primumve acumen, carnem cruciet ex Caritate voluntatis in Deum ut duo: secundus cruciet ex Caritate Voluntatis in Deum ut quatuor: Tertius cruciet seu tertii dolorem ferat Voluntas ex Caritate in Deum ut octo: quarti dolorem ferat ex Caritate in Deum ut sexdecim: & sic deinceps, (vel etiam ferat quemlibet ex majori millies-millies fervore Caritatis in Deum) dico unumquemque nodum, unumquodque acumen, futurum signum tanti gradûs Caritatis in Deum, tantique fervoris, & dolorem seu potius meritum doloris, gradui Caritatis per illum dolorem vel per acumen dolorificum signati

N 3

nati

204.

nati intentique responsurum. Ratio est; Quia enim Voluntatis nostræ posse (quantum ad actus elicitos suos spectat) est ejus velle, & velle est posse; hinc fit, ut tantus sit ejus actus elicitus, quantum est ejus velle; fit, inquam, ut tantum possit atque re ipsâ faciat, quantum vult.

205.

Id ipsum facere Voluntas potest hominis, flagellationem facturi corporis sui. Designet homo velle se centum ictus sibi infligere, & velle, ut quilibet ictus sit ex majori fervore Caritatis, vel humilitatis, vel patientiæ, vel simul horum omnium profectus. Inter inflictionem ictuum, non potest homo, simul & numero ictuum, & excitationi fervoris majori majorique, ac repetitioni attendere, tum propter moram, tum propter fatigationem mentis, tum propter facilitatem erroris? statuat Voluntas, numeros ictuum, esse, & numeros fervorum repetitorum, & voces quibus numerat ictus, statuat ex suo placito, esse etiam signa excitati fervoris majoris ac majoris; Dico tantundem id valiturum apud Deum, Voluntatique profuturum quantum, si ad quemlibet ictum subsistens expressim conceptis unitatis verbis, eliciat proposita majoris fervoris &c.

Id ipsum facere potest Voluntas recitantis Horas Canonicas Sacerdotales, vel Horas B. Virginis minores, vel Rosarium Coronamve B. Virginis, vel

vel alias Orationes vocales. potest enim intendere, quamlibet vel vocem vel literam, novo fervore Caritatis, Reverentiæ, Obedientiæ, Religionis, humilitatis dicere &c. Signum autem, immo etiam actum novi fervoris, eandem quamlibet vocem literamve ex placito suo designare.

Ex hoc ipso fundamento placitæ & Voluntariæ designationis, si quis consueverit fortè, Orationes, sive à Spiritu Sancto in Scripturâ & Psalmis, sive à piis viris conscriptas recitare, quarum sensus ex communi vocum acceptione pro uno tantum orante dirigatur, easdem pro aliis vel etiam pro totâ communitate, pro totâ Ecclesiâ, aut Republicâ dirigere, nullo verbo mutato, sed tantum vocibus singulariter sonantibus, ex placito proprio dando significationem communem. v. g. Si quis dicere soleat Divinæ Bonitati, (æstimo te super omnia;) vel, (Miserere mei, sicut scis & vis) &c. illud (æstimo) sic velit sonare, ac si diceretur nomine totius universitatis Creaturarum; hominum, Ecclesiæ, Communitatis &c. Item illud (mei) velit sonare quasi esset dictum ore, affectu, personâ, communitatis alicujus.

Atque ita hoc voluntatis compendio, faciet ex privatâ Oratione communem, & quod privatim sibi petere solebat, petet tibi cum omnibus.

N 4

Quod

Quod facere, tantò procliviùs atque efficaciùs erit Voluntati, si quis consueſcat, ſe cum totâ, vel creaturarum, vel Eccleſiâ, vel Regni &c. communitate, quaſi unum apprehendere, communionemque ac unionem cum illâ habere.

207.

Simili ratione; poteſt Voluntas, ex ſuo placito, unicam vocem, aut notam, aut actionem, aſſumere ad ſignificandam aliquam multitudinem, ſive actuum, ſive graduum, ſive rerum, ſive laudum, ſive humiliationum in Deum, in Sanctos, &c. ita, ut quod multis verbis aut notis deſignare alioqui deberet, hoc unâ voce aut uno ſigno deſignet. v. g. Sacerdos facturus Sacrum, in quo aliquoties genu flectet de more, poteſt ex placito ſuo deſignare & deputare, quamlibet genuflexionem facere, affectu, & reverentiâ, & debito Sanctorum omnium in cœlo, omnium hominum in mundo, omnium creaturarum Dei. Sic poteſt quis ex Voluntate ſuâ ſtatuerè dicere hæc verba. (Ame te DEUS meus ſuper omnia,) decies aut centies in diem; ita, ut quælibet pronuntiatio iſtorum verborum, & dicatur & ſignum ſit, quòd dicamur affectu omnium creaturarum, ſive numerum, ſive debitum, ſive conatum, ſive omnes circumſtantias earum ſpectes.

INDU.

INDUSTRIA XXXI.

*Omnes præterita Industria, in Compendium
reductæ.*

Quia in superioribus Industriis multa sunt 208.
proposita ad faciendum viro spirituali,
quæ si omnia exequi vellet, non parùm forsi-
tan & temporis, & operæ negotiique absume-
rent, fortassè etiam multùm fatigarent & exhau-
rissent incautè utentes; ideò hâc Industriâ osten-
do, quâ ratione supradictæ Industriæ ferè omnes,
ac etiam aliæ quævis, possint à spirituali nego-
tiatore in compendium contrahi, atque com-
pendio exerceri.

Ac primò quidem, beneficio proximè affi-
gnatæ Industriæ, id non difficulter fieri posset,
ut consideranti patebit; siquidem non esset dif-
ficilè Voluntati, unum aliquod verbum, aut
signum deputare, quod quoties usurparet, velit
usurpare, velit censeri usurpare omnes supradi-
ctas Industrias, in quantum prudenter usurpari
& cadere sub talem rationem placiti possunt: ta-
men quia hæc res aliquo modo valde confusa es-
set, & nisi aliquid expressius particulariùsvè Vo-
luntas usurpet, tandem, etiam in oblivionem
Industriæ prædictæ, voci uni aut signo inclusæ,

N s

veni-

venirent; ideo judico expedire viro spirituali, ut bene perspectis ac possessis prædictis Industriis, eas omnes ac singulas, in parvam aliquam formulam colligat, quam pro arbitrio usurpet, & usurpando omnes Industrias prædictas, ac in compendium illud collectas, usurpet, & usurpare intendat.

*Praxis hujusce Compendii hæc
vel similis esse
poterit.*

Sanctissima Trinitas, te agnosco, amo, desidero, laudo, benedico, adoro, tibi obedio, te timeo, veneror, dignifico, & exalto super omnia. Affectu tuo, Affectu Sanctissimæ amabilissimæque IESU Christi humanitatis, Affectu Pretiosissimæ Parentis, Affectu omnium Beatorum Spirituum, affectu omnium Sanctorum atque Sanctarum, affectu denique omnium creaturarum.

Per

Per hanc Actionem N. meam, & per omnes prateritas, a presentes, futuras, actiones b passionesque meas, omnium potentiarum corporis & anima mea, omniumque Creaturarum mihi & communione Creationis unitarum, & affectione d libera Voluntas atque Caritatis erga illas, propter te Deum, mea; insuper e impersonatarum, atq; insubstantiatarum. Semel f pro semper, pro tota vita, proque omnibus & singulis momentis vita sive existentia mea, & omnium creaturarum.

a Ind. 20.
b Ind. 6.
c Ind. 7.
c Ind. 14.
d Ind. 15.
e Ind. 24.
f Ind. 23.

Majori quam unquam haectenus fervore a spiritus, milliesque millies millies majori proportione & incremento fervoris, b puritatis, Charitatis, diligentiae, ac dignificationis Tui, dignificationis autem mei.

a Ind. 8.
b Ind. 39.

Ad purum & omnem gustum tuum, ad nullum premium bonumve meum: ad nullum gustum bonumve creatum a te separatum, pre-

Indust. 26.
Ind. 5.

ituali,
Indu-
quam
arpet,
acin
surpa-
ec
o, de-
obe-
xalto
ctis-
nita-
ffectu
nium
deni-
Per

præterquam ad eos fines, quos gustui beneplacitoque Voluntatis tue subordinatos, specialiter, in omnibus universim & singulis specificè actionibus passionibusque intendere, vel possum, vel soleo, vel debeo, vel volo, vel tu vis.

Ind. 29. Seraphicè, Marianè, Christiformiter, omnitudinaliter, incessabiliter, hujusque unius presentis actus pro omnibus substitutivè.

Ind. 13.
Ind. 12. In unione meritorum (mibi appropriatorum, tibi autem Deo, Trinitati oblatorum) IESu Christi, Pretiosissimæ Parentis, Sanctorum omnium & Angelorum.

a Indust.
b Ind. 18.
c Ind. 28.
d Ind. 10.
e Ind. 11.

a Atomicè, b Sacrificativè c primiti-
liter, d Heroicè e omnipossibiliter.

Digne Te Dignissimâ Trinitate Deo meo.


Quia

*Quia mihi places; ut mihi placeas: ut
Tibi placeam amplius & amplius & amplius.*


Hoc Industriarum compendio, vel simili,
uti poterit Spiritualis negotiator; quolibet die
juxta arbitrium suum, intendens in eo & per
usum illius, uti simul præcedentibus Industriis,
quæ in hoc Compendio saltem voce unicâ per-
stringuntur. ad quod conferet, ut jam suprâ mo-
nui, præcedentes Industrias benè per-
spectas atque possessas
habere.



Godfrid
Lixi
deus asse
tom: I
N. V
56



G. Druz
fieri
deuri asse
tom. I
V. V
56



V. P.
C. DRUZRICH
TOM. I.

Th

2573

G. Dru
Sicki
oper: asch.
Tom: I
N: V
56